

INSTITUTIONES
JURIS
ECCLESIASTICI,

MAXIME PRIVATI,
ORDINE DECRETALIUM.

AUCTORE
JAC. ANT. ZALLINGER
AD TURRIM,

S. S. THEOLOGIÆ AC JURIS UTRIUSQUE
DOCTORE,

ET IN LYCEO CATHOLICO AUGUSTANO
AD S. SALVATOREM S. S. CANONUM
PROFESSORE PUBLICO
ORDINARIO.



LIBER IV. DECRETALIUM.

CUM APPROBATIONE RRmi ORDINARIATUS.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER P. M. FILIORUM.
MDCCXCIII.



Impii homines hujus ſeculi de venerabili Sacramento Matrimonii - - multa ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu, & ab Apoſtolorum temporibus probata conſuetudine aliena ſcripto & verbo aſſerunt, non ſine magna Chriſti fidelium jactura.

SS. Concilium Tridentinum Seſſ. XXIV.
Doctrin. de Sacramento Matrimonii.



PRÆFATIO.

Doctrinam Catholicæ Ecclesiæ de Sacramento Matrimonii, sacrosque & saluberrimos Canones, quibus eadem conjugiorum tuetur honestatem, amplecterentur profecto homines lubentibus animis, maximoque commendarent opere Doctores, si & rationis humanæ infirmitatem, & sexcenta in re lubrica labendi, errandique pericula, unaque divinæ Justitiæ in vindicandis flagitiosis complexibus incredibilem severitatem expenderent, fideique cœlestis luce contuerentur. Ultus est Deus primorum jam temporum infausta conjugia, inter filios Dei inita, filiosque hominum, & pejorem parentibus sobolem diluvio suffocavit: ultus est execrandas civitatum libidines, atque in eas gehennam de cœlo misit: ultus est gentem adulteram, in qua sanguis sanguinem tetigit, & unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. *Auferte* (dixit per Prophetam) *propagines ejus; quia non sunt Domini.* Hæc nempe sunt, *propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ.*

Posteaquam dein divinus Servator, ut humanæ opitularetur fragilitati, oneraque levaret conjugiorum, mysterii cœlestis significationem, gratiamque Sacramenti iisdem annexuit, dici non potest, quantum negotii Ecclesiæ Pastoribus fecerint profanæ Ethnicorum leges, & inveteratæ consuetudinum pravitates, donec integritati suæ restituerent Christianorum matrimonia, atque ad eam conformarent honestatem, quæ Sanctos decet. Clamabat Paulus: *Honorabile connubium in omnibus. Quæ conventio Christi ad Belial?* Clamabat Hieronymus: *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit.* Clamabat Ambrosius: *Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. - - Tolerabilior est, si lateat culpa, quam si culpæ usurpetur auctoritas. - - Lex humana non prohibet: sed divina prohibet.* Clamabant Summi Pontifices, Innocentius I. & Leo I., *ne separet homo, quod Deus junxit.*

Factum est divina favente gratia, ut legibus seculi prævalerent Ecclesiæ leges, & generales iique sanctissimi Canones de matrimoniis recte ineundis ubique haberentur in honore, & colerentur multis ætatibus; cum seculo sexto decimo novum & fidei divinæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ in-

dictum

dictum est bellum; quo religionis dogmata ad privatas cujusque opiniones detorta, deformataque, & conjugiorum leges magnam partem abjectæ, & conculcatæ sunt; abscissa veluti radice sacrarum legum, nempe ratione veri, propriique Sacramenti fidelium matrimoniis detracta. Unde SS. Concilium Tridentinum Sess. XXIV. in Doctrina de Sacramento Matr.: *Cum Matrimonium*, inquit, *in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet; merito inter novæ legis Sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ Traditio semper docuerunt: adversus quam impii homines hujus seculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili Sacramento senserunt, sed de more suo prætextu Evangelii libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, & ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena scripto & verbo asserunt, non sine magna Christi fidelium jactura.* In hunc modum præfata sancta Synodus de Sacramento Matrimonii, ejusmodi & Canones fidei, & reformationis Decreta edidit, ut conjugiorum sanctitas firmitasque contra Novatorum errores, aliorumque pravos usus in tuto collocata omnibus Catholicis visa sit.

At postremis hisce temporibus nova fidelium matrimoniis pericula imminuerunt ab hominibus temerariis, qui multa ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, atque ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena protruserunt in lucem, non Evangelii, quod Protestantes fecerant, sed rationis humanæ, quam jactitant, jurisque naturalis itidem ratione cogniti obtentu, quasi heri primum, aut nudius tertius puræ rationis lumen nescio quis Prometheus devexisset in terras. Atque hi quidem, etsi Sacramenti dignitatem non omnibus auferant Catholicorum conjugiis; tamen eandem a contractu matrimonii penitus separari, scindique posse, atque ita separari & scindi posse asserunt, ut totum id, quod contractum efficit, indeque provenientia jura, tum contrahentium arbitrio, tum magistratuum politicorum legibus subjaceant. Nec verentur Protestantium invidere sortem, & palam conqueri, eos melioris, ac Catholicos, conditionis esse; cum variis ex caussis scindant conjugiorum vincula, & excutiendi jugi libertatem præbeant; quod nefas haberetur apud Catholicos, & incassum tentaretur. Fingunt dein, aut certe stolide sibi persuadent, totius humani generis, cum de nuptiis tractant, caussam se agere, atque optime mereri de re publica, & civitate, in qua degunt, si nuptiarum

æstum

æstum incitent; unde fit, ut quam acerbe stomachari solent hominum sacrorum continentiam; tam cito, facileque veniam dent meretricibus, de partuum multitudine multo plus, quam honestate nuptiarum solliciti: neque enim multum interesse putant, qua ratione civium numerus augeatur, fornicatione, adulterio, incestu, sacrilegio, an legitimo matrimonio. Nolim addere, quanta procacitate, bonorumque offensione de re matrimoniali differant cæci homines, vere *despumantes confusiones suas*. Hæc ob eam causam commemoravi, ut intelligeret unusquisque, quanta reverentia in re gravissima, eaque summe periculosa excipiendi sint, quantoque studio colendi sacri Canones, divino nempe Spiritu conditi, & totius mundi reverentia consecrati. De ordine ac methodo hujus libri dicere nihil attinet. Totus enim de sponsalibus agit & matrimoniis rite contrahendis; tum de effectibus ac juribus; de firmitate item, aut dissolutione eorumdum; quemadmodum Titulorum series satis jam per se ordinata exhibet.




SERIES

SERIES TITULORUM
LIBRI IV. DECRETALIUM.



TITU-



TITULUS I.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS.

ARGUMENTUM.

I. Matrimonii notio ac finis. §. 1. *II. Sponsalia de futuro.* § 9. *III. Matrimoniis fidelium inest ratio Sacramenti, quæ separari non potest a contractu* §. 15. *IV. De impedimentis matrimonii generatim.* § 23. *V. In specie de impedimento erroris, vis, raptus, disparitatis cultus.* §. 38.

§. 1.

SPONSALIA sunt via ad matrimonium, & ipsa tractatione passim præmitti a Scriptoribus solent. Sed quoniam via nec recte investigari, nec arripi potest, nisi præmonstrata, quantum necesse est, meta; videntur generales de Matrimonio notiones primo exponendæ. Jus omne matrimoniale nititur legibus *divinis*, naturalibus & positivis: legibus *Ecclesiasticis* ratione Sacramenti: legibus *Civilibus* ob jura maritorum, uxorum, prolium iisdem constituta (*a*).

(*a*) *S. Thomas contra Gentes l.* 4. *c.* 78. *de Sacramento matrimonii ita differit*: Quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem: quia finis est proportionatus agenti. Generatio autem humana ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem speciei, & ad perpetuitatem alicujus boni politici, puta populi in aliqua civitate: ordinatur etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ; quæ in fidelium collectione consistit. Unde oportet, quod hujusmodi generatio a diversis dirigatur.

§. 2. I. *Natura*, eiusque auctor legitimam conjunctionem maris & feminæ instituit tanquam unicum medium humani generis conservandi ac propagandi: pro mutuo item solatio ac subsidio conjugum; ex quo etiam concupiscentiæ remedium provenit (*b*). In hos fines inditi sunt hominibus stimuli, bestiis communes (*c*), qui, nisi ratione & legibus regantur, facile eos obcæcant, atque ad turpissima incitant flagitia; si præsertim ad depravationem naturæ prava aliorum exempla, atque etiam nefariæ & impiæ doctrinæ accedant; quæ justissima fuit Patrum Concilii Tridentini querela, pari jure ingeminanda hoc ævo. Sess. XXIV. princ. Doctrina de Sacramento Matrimonii.

(*b*) *Gen. II.* 18. *seq. I. Corinth. VII.* 2. *seq. S. Thomas in IV. dist.* 26. *q.* 2. *a.* 2. & 3.

(*c*) *L.* 1. §. 3. *D. de J. & J.*

§. 3. In lege Evangelica Christus matrimonium ad primævum statum, eumque indissolubilem reduxit, abrogato libello repudii; idemque signum esse voluit conjunctionis suæ cum Ecclesia, addita veri, propriique Sacramenti gratia; ac proposito præterea virginitatis, cœlibatus, & perpetuæ castitatis consilio (*d*). Unde genuina theoriæ & praxeos principia de matrimonio ex Ss. Concilio Trid. Sess. XXIV. petenda sunt, recepta in foro etiam politico Catholicorum. Hactenus dictum est de legibus *divinis*.

(*d*) *Matth. XIX.* 5 *usque ad v.* 13. *Marci X.* 2. *seq. Ephes. V.* 31. *I. Cor. VI.* 16.

§. 4. II. *Ecclesiasticæ leges* de matrimoniis ab ipso Ecclesiæ principio latæ sunt variæ, per quas non modo conservatum ac declaratum fuit ius divinum de iisdem recte contrahendis, ferendisque, sed

præterea

præterea honeſtati conſultum, ut matrimonium eſſet *honorabile in omnibus*, & *thorus immaculatus* (*e*). Chriſtus enim eo ipſo, quod illud ad rationem & dignitatem Sacramenti elevarit, Eccleſiæ jurisdictioni idem ſubjecit, ratione vinculi potiſſimum, ob quod ſacram ſignificationem, atque indiſſolubilem nexum matrimonia acceperunt; uti docet Concil. Trid. l. c. princ. Præterea neceſſe omnino eſt, ut Eccleſia illum præcipue contractum, qui plurimis animæ periculis expoſitus eſt, inter fideles ad honeſtatis leges exigeret; cum is ad prolem non tantum generandam, ſed etiam ſancte educandam, adeoque ad amplificandam ſpiritualem civitatem Dei ſit inſtitutus, & ob id ad dignitatem Sacramenti elevatus.

(*e*) *Hebr. XIII.* 4.

§. 5. III. *Leges civiles* matrimoniis etiam infidelium, qui Eccleſiæ ſubjecti non ſunt, providerunt: divinas dein, & Eccleſiaſticas leges addita ſanctione firmarunt: multa de juribus conjugum etiam fidelium, de ſtatu & conditione prolium, de contubernio ſervorum, de diſparagiis ſive matrimoniis inter perſonas diſparis fortunæ, quoad civiles effectus ordinarunt.

§. 6. Per leges divinas, eccleſiaſticas, civiles prohibentur in primis ea, quæ fini, aut honeſtati matrimonii repugnant: dein genuina ejusdem notio definitur. Ac I. graviſſime interdictus eſt quivis libidinis actus, qui per ſe ad generationem prolis eſt ineptus, uti contingit in peccatis contra naturam. II. Interdictus eſt quivis concubitus inter perſonas diverſi ſexus, qui per naturam, vel leges *inhabiles* ſunt ad validum inter ſe matrimonium contrahendum. Quo pertinent impedimenta *dirimentia* matrimonii.

III. Item interdictus concubitus inter personas diversi sexus, quæ, etsi habiles sint, & legitimo matrimonio copulari possent, tamen actu copulatæ nondum sunt; quod fit in vaga scortatione, fornicatione, stupro, concubinatu. IV. Quæ personæ legitimo matrimonio copulatæ sunt, non possunt, eo durante ac permanente, aliam personam in matrimonium superinducere. V. Matrimonium autem inter fideles, postquam id carnali copula consummatum est, eo usque durat ac permanet, donec morte alterius conjugis solvatur. De delictis hic indicatis distincte agitur l. V. Decretal. Tit. 16. *de adulteriis & stupro.*

§. 7. Notio matrimonii ex legibus conflatur hæc: Matrimonium est *legitima conjunctio maris & feminæ, individuam vitæ consuetudinem continens, divinitus instituta in signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, habens promissionem gratiæ ad uniendos simul conjugum animos, & prolem pie ac sancte educandam in fide christiana.* Sumitur matrimonium tum pro *actuali conventione*, qua mas & femina mutuo sibi tradunt jus in corpora, ad actus ex se aptos ad generationem prolium, atque ad individuam vitæ societatem se obligant (*f*). Talis conventio proprie appellatur *Connubium*, aut *Nuptiæ*. Can. *Nec illud.* 8. XXX. q. 5. Tum pro *statu permanente*, nexu aut vinculo, quod per hanc conventionem inducitur. Unde *Conjugium*, aut *Consortium* nuncupatur. Præterea spectatur matrimonium ut *contractus* naturalis aut civilis, vel ut *Sacramentum.*

(*f*) *I. Cor. VII.* 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. *In hac translatione juris ad actus conjugales, non in ipso juris usu, essentia matrimonii sita est. Nam utroque Jure recepta est regula*: Nuptias non concubitus, sed consensus facit. *l.* 30. *D. de R. J.* *Can.* 5. *XXVII. q.* 2.

§. 8.

§. 8. Propoſita notione matrimonii, per *Sponſalia* (de futuro) intelligenda eſt *mutua promiſſio futuri matrimonii*, ita, ut mas et femina ad contrahendum matrimonium habiles, uterque matrimonium promittant, & alterius promiſſionem acceptent (*g*). Sponſalia dicta ſunt a ſpondendo. *Nam moris fuit Veteribus, ſtipulari & ſpondere ſibi uxores futuras.* l. 2. D. de Sponſalib. Hinc appellantur Sponſalia *de futuro*: ipſum autem matrimonium, antequam copula carnali conſummetur, ſive nuptiæ, *Sponſalia de præſenti*, ſive matrimonium *ratum*: poſtea *conſummatum*. Diſtinctio recte fit; quia ſponſalia de futuro, ſponſalia de præſenti, ſeu matrimonium ratum, & demum matrimonium conſummatum effectu differunt. Sponſalia de futuro ſunt actus *promiſſorius*, qui mutuo diſſenſu diſſolvi poteſt, etſi juramento fuerit firmatus; quique conditionem in ſe continet: *ſi potero*: aut, *rebus ſic ſtantibus* & notabiliter non mutatis. At Sponſalia de præſenti ſunt actus *executivus*, quo jus ad actus conjugales jam translatum, traditumque eſt cum omni periculo & commodo. Idcirco cenſentur vinculum fortius, quam ſponſalia de futuro; ſic tamen, ut hæc ipſa ſponſalia de præſenti, antequam matrimonium conſummetur, ſolvi poſſint profeſſione religioſa: at matrimonium conſummatum inter fideles ſolvi non poſſit, niſi per mortem unius conjugis (*h*). Neque nova eſt re ipſa diſtinctio. Nam c. 1. de ſponſa duor. S. Auguſtinus diſtinguit inter *fidem pactionis*, & *fidem conſenſus*. Illa denotat ſponſalia de futuro: hæc vero ſponſalia de præſenti.

(*g*) *L.* 1. *D. de Sponſ.* Mentio & repromiſſio nuptiarum futurarum. *can.* Noſtrates. 3. *XXX. q.* 5. *ibi*: Sponſalia ſunt futurarum nuptiarum promiſſa, fœdera quoque conſenſu eorum, qui hæc contrahunt &c. *Qui* repromittit, *hoc eſt, promittenti viciſſim promittit, eo ipſo* acceptare *alterius promiſſum*, *actumque ſponſa-*

 litium

litium complere censetur; at qui factam promissionem acceptat, nec tamen repromittit, non tam vera sponsalia complet, quam spatium deliberandi sibi reservat. Est id pactum alterius generis, non sponsalitium; neque effectum habet sponsalibus proprium.

(*h*) *Ad matrimonium consummatum pertinet dictum Christi Matth. XIX.* 5. 6. Erunt duo in carne una. - - Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. *Conf. Concil. Trid. can* 6. *de Sacram. Matrim. & c.* 7. *de convers. conjug. adde c. ult. de Sponsal. c.* 2. *& ult. de Sponsa duorum.*

§. 9. Sponsalia de futuro, ac de præsenti continent rationem contractus, aut certe pacti in genere (*i*). Quæ ergo de pactis & contractibus generatim decisa sunt, ac expendi debent, huc pertinent. I. *Requisita voluntatis*, ac consensus. II. *Jus*, & libera facultas ineundi sponsalia. III. *Objectum*. IV. *Obligatio*, *aliique effectus* proprii sponsalium. Conf. dicta L. I. tit. 35. de Pactis.

(*i*) *Matrimonium certe, quatenus pro actu, aut conventione sumitur, passim adnumeratur contractibus. Si indissolubile est, & inter duas tantum personas diversi sexus iniri potest, non sequitur, id pro contractu habendum non esse, sed multa in hoc contractu esse propria ex natura ipsius, & legibus, quæ in aliis contractibus aliter se habent.*

§. 10. I. *Agendum de consensu*, qui *in sponsalibus de futuro* tendit ad futuras nuptias: *in matrimonio* exhibetur *de præsenti*, ita, ut ab illo tempore, quo consensus præstatur, vir mulierem habere velit pro uxore, & mulier virum pro marito c. 9. Utroque casu is consensus debet esse 1. *personalis*, qui nulla humana auctoritate suppleri potest c. 26. in fin. De matrimonio id patet ex ratione Sacramenti; & quia fundatur in amore, & conjunctione animorum. 2. *Internus*, ut absit fictio, & interna voluntatis repugnantia,

pugnantia, qua quis obligari nolit. c. 26. de Sponſ. Pro foro externo, niſi quis fictionem probet, conſenſus verus & internus præſumitur ex verbis, & ſignis externis. l. 7. §. 2. D. de ſupell. legat. ibi: *Nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitaverit.* 3. *Deliberatus*, & a compote rationis præſtitus. A furioſo, aut ebrio nec ſponſalia, nec matrimonium valide contrahitur. c. 24. h. t. nec ab infantibus c. 25. in fin. 4. *Satis expreſſus* & externe declaratus; quod per ſigna fieri poteſt etiam a muto & ſurdo c. 23. In dubio, ſi verba aut ſigna obſcura ſunt (quod uſuvenit aliquando in ſponſalibus de futuro) ea ſecundum communem intelligentiam, & locorum conſuetudines ſunt accipienda c. 7. In ſponſalibus de futuro ex ſingulari Juris diſpoſitione liberi cenſentur loqui per os patris & matris; ita, ut ea valida ſint, ſi parentes conſenſum exhibeant præſente & tacente filio, aut filia. c. un. §. 2. in 6. Ab hoc caſu differt is, quo ſponſalia vel matrimonium contrahuntur per procuratorem, qui habeat ſpeciale mandatum, determinatum ad certam perſonam, non revocatum eo tempore, quo procurator mandatum exequitur; qui exequi illud, ſaltem quoad matrimonium, per ſe ipſum debet. c. fin. de Procurat. in 6. adde Clem. un. de Renunt. & l. 4. 5. 6. D. de Sponſ. Conſenſui expreſſo opponitur præſumtus, qui non ſufficit. Olim tamen, ante Decretum Concilii Tridentini de matrimoniis clandeſtinis, & nunc etiam in locis, ubi illud Decretum non viget, ſiquis poſt ſponſalia de futuro ſponſam carnaliter cognorat, præſumebatur conſenſum de præſenti in matrimonium præſtitiſſe, & quidem præſumtione juris & de jure, contra quam non admittebatur probatio. c. 15. & 30. Similiter ſi poſt ſponſalia conditionata ſecuta eſt copula carnalis inter ſponſos, hi præſumebantur a conditione receſſiſſe, & con-

ſenſum de præſenti exhibuiſſe. c. 6. de conditionibus appoſ. Solus tamen niſus ad copulam, effectu non ſecuto, haud ſufficiebat. c. fin. de ſponſ. 5. *Liber ab errore* ſubſtantiali, ac gravi & injuſto *metu*. De qua re dicendum infra eſt, quando agetur de impedimentis (*k*).

(*k*) *In pactis & contractibus conſenſus voluntatis non ſemper eſt abſolutus, ſed aliquando alligatur ad certas conditiones, ad modos, ad diem &c. Quod idem obtinet in ſponſalibus, uti declarabitur tit.* 5. de conditionibus appoſitis in deſponſatione.

§. 11. II. *De jure & facultate contrahendi ſponſalia vel matrimonium* decidendum eſt: 1. Facultas ineundi matrimonii cuivis competit, qui non prohibetur. Fieri enim poteſt, ut quis prohibeatur lege naturali, eccleſiaſtica, aut politica: & abſolute quidem prohibeatur relate ad quamvis perſonam, quacum conjungi vult: vel limitate ad certam perſonam, aliave adjuncta: præterea ut prohibeatur cum clauſula irritante, vel ſine ea; quia hoc in negotio ſæpe locum habet effatum Pontificis c. 16. de Regul. *Multa prohibentur, quæ, ſi facta fuerint, roboris obtinent firmitatem.* 2. Libera facultas matrimonii transferenda non eſt ad neceſſitatem juris, ſeu obligationem, præſertim propoſito Evangelico conſilio caſtitatis & cœlibatus. Conf. Jus Nat. Sociale §. 173. pag. 355. & dicta de Cœlibatu L. III. tit. 3. Neceſſitas matrimonii pro conſervando humano genere univerſos afficit, non ſingulos: eſtque id jus affirmativum, quod multa poſcit corporis, animi & fortunæ adminicula, ut in uſum deduci queat. 3. Non obſtante conſilio Evangelico, matrimonium dicitur *favorabile;* quod quidem maxime pertinet ad matrimonium jam contractum, ne ſine certa ratione diſſolvatur: dein etiam ad contrahendum relate ad eos, qui in cœlibatu degunt

gunt non sacro (Lib. III. §. 12. not.), & ob certos favores legibus concessos iis, qui nuptias contrahunt (*l*). 4. Usus istius juris, uti aliorum jurium, in statu adventitio Ecclesiæ & civitatis sæpe alligatus est consensui aliorum, & solemnitatibus tum substantialibus, sine quibus contractus sponsalium vel matrimonii non valet, tum accidentalibus, quibus omissis actus fit malus, non item nullus; quod explicatur tit. 3. hujus libri *de clandestina desponsatione*. 5. Gravissima hoc loco quæstio est de consensu parentum in nuptias liberorum, separatim decidenda.

(*l*) *L.* 22. *D. de cond. & dem. ibi*: Quoties sub conditione mulieri legatur: *si non nupserit*; *& ejusdem fidei commissum sit, ut Titio restituat, si nubat*; commode statuitur, etsi nupserit, legatum eam petere posse, & non esse cogendam, fideicommissum præstare. *L.* 72. §. 5. *ibid. Mæviæ, si nupserit, fundum, cum morietur, lego*; potest dici, etsi nupserit, eam statim ad legatum admitti. *L.* 100. *ibid.* Titiæ, *si non nupserit*, ducenta; *si nupserit*, centum legavit; nupsit mulier; ducenta, non etiam centum residua petat. *Duo animadverte*: 1. *Hic favor primis, non etiam secundis nuptiis indulgetur; uti ostenditur tit. ult. hujus libri* de secundis nuptiis. 2. *Neque is favor derogat consilio Evangelico; nam si cui sub conditione nuptiarum vel liberorum pro dote vel donatione propter nuptias aliquid relinquatur, vel legetur; & ejusmodi persona honorata monasterium ingrediatur; tamen relictum ei debetur. Auth.* Nisi rogati. *C. ad SC. Trebell. ex Nov.* 123. *c.* 37. *item c.* 8. *de Probat.*

§. 12. *De consensu parentum in nuptias liberorum* decidendum est: 1. Eum non requiri ad *valorem* matrimonii. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 1. de ref. matrim. eos *anathemate damnat*, *qui falso affirmant*, *matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta*, *irrita esse*, *& parentes ea rata vel irrita facere posse* (*m*). Sponsalia de futuro insciis parentibus

rentibus contracta, si justa eorum præsumitur indignatio, certe illicita sunt. Nam 2. Liberi in negotio tam gravi tenentur exquirere consilium parentum, eorumque consensum petere; hunc enim honorem debent parentibus, præsertim quod ii contemni se putent, justeque & graviter doleant, si prætereantur. 3. Parentes justiores habere causas possunt, ut dissuadeant certas nuptias, quam ut certas invitis liberis obtrudant. Priori casu citius contingit, ut liberi *teneantur* sequi consilium parentum, quam posteriore can. *de neptis*. 3. XXXI. q. 2. ibi: *Quorum enim unum corpus est, debet esse & animus.* Arg. c. 12. de Regular. ibi: *Quæ in ætate nubili noscitur constituta; tunc enim, quia liberum habet arbitrium, in electione propositi sequi parentum non cogitur voluntatem.* can. *præsens*. 4. XX. q. 3. ibi: quod enim *quis non eligit, nec optat; profecto non diligit; quod autem non diligit, facile contemnit.*

(m) *Leges Romanæ, quæ veteri rigore patriæ potestatis maxime nituntur, in Germania receptæ non sunt, uti patet ex R. J. an.* 1548. §. 9. *de Sacr. Matrimonii.*

§. 13. III. *Objectum* sponsalium *de futuro*, in quod tendit consensus, sunt *futuræ nuptiæ*; si ergo inter sponsos nuptiæ irritæ, aut prohibitæ essent, sponsalia nulla sunt, quia non potest concipi obligatio ad actum illicitum, vel irritum. l. 15. & 16. D. de Sponf. l. 60. §. 5. D. de ritu nuptiar. Exceptio est l. 10. §. 1. D. de his, qui notantur infamia. Ibi: *Quæ virum eluget, intra id tempus sponsam fuisse, non nocet.* Similis videtur casus sponsalium, quando quis impedimento impediente ad certum tempus restricto arcetur a nuptiis. In sponsalibus *de præsenti* consensus pro objecto habet actualem translationem mutui juris ad actus conjugales. In utroque genere

sponsa-

ſponſalium perſona, ſive determinatum individuum, quocum contrahuntur, pertinet ad ſubſtantiam actus & conſenſus; quia fundantur in mutuo amore, & conjunctione animorum; atque ad individuam vitæ ſocietatem tendunt; quæ omnino *perſonalia* ſunt. Hinc ſiqua perſona per leges vel naturam inhabilis eſt ad ineundum matrimonium, actus ſponſalitius vel matrimonialis cenſetur objecto deſtitui, ac de jure penitus nullus eſt.

§. 14. IV. *Effectus* ſponſalium *de futuro* præcipuus, eſt obligatio contrahendi matrimonii, quando altera pars rationabiliter exigit. Ea obligatio, perinde ut in aliis contractibus, firmari poteſt addito juramento, arrha, aliisque pactis, de quibus agitur tit. 5. *de conditionibus appoſ. in deſponſat.* Eſtque obligatio gravis pro foro interno, utpote in re gravi; quia ſine gravi injuria, juſtoque mœrore pars altera repudiari ab altera non poteſt. Judex eccleſiaſticus eum, qui promiſſum ſine juſta cauſa ſervare detrectat, etiam intentatis minis ad implendam obligationem adigit. c. 10. h. t. Cum tamen *coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere* c. 17. eod.; provide utendum eſt gladio ſpirituali, ſi ob animi averſionem magna immineant ſcandala (*n*). Sponſalium *de præſenti* effectus eſt, ut inducant ſtatum conjugis, qui per ſeſe in complexione jurium & obligationum matrimonialium eſt ſitus. Alius ſponſalium effectus conſiſtit in *juſtitia publicæ honeſtatis*, vi cujus poſt ſponſalia valida de futuro neuter ſponſus alia ſponſalia vel matrimonum valide contrahere poteſt cum alterius partis conſanguineis in primo gradu lineæ rectæ vel obliquæ: poſt matrimonium autem ratum contrahere non poteſt cum prioris partis conſanguineis usque ad quartum gradum; etſi prius matrimonium invalidum

validum fuisset, modo non ex defectu consensus. De hac justitia publicæ honestatis agitur ad tit. *de consanguinitate & affinitate.*

(n) *Dicunt* 1. *A sponsalitia promissione impune licet recedere etiam invita parte altera, adhibendo formulam:* conditione tua non utor. *l.* 1. *C. de Sponsal. l.* 2. *in f. C. de repudiis. & l.* 2. §. 2. *D. de divortiis. R. His legibus usque ad nostra tempora adversari credebatur æquitas naturalis; certe adversatur æquitas canonica, quæ ante leges Romanas in Germania recepta fuit. Dicunt* 2 *Matrimonia esse libera, non ex tristi sponsalium necessitate iniri debere. R.* primo *debent esse libera nempe ea libertate, quæ in aliis etiam contractibus, gravibusque negotiis requiritur, in quibus id, quod initio est voluntatis, postea fit necessitatis. l.* 5. *C. de O. & A. l.* 17. §. 3 *D. commodati. Libertati matrimoniorum satis provisum est per jus resiliendi utrique parti concessum, ex nova emergente, aut explorata causa, quæ ante cognita absterruisset a sponsalibus.* Secundo. *Matrimonia libera esse debent; at etiam provide & secundum canones contrahi; providentia requirit præparationes variasque expensas ad nuptias: canones præscribunt publicas denuntiationes ante matrimonium. Neutrum fieri potest sine periculo damni, & honoris, si executio propositi inconstantiæ & mutabilitati hominum relinquatur. Hinc c.* 28 *decidit Pontifex,* quod mulieres, quæ veniunt ad valvas Ecclesiæ benedicendæ cum sponsis, & ibi reclamantes affirmant, se nunquam in eorum matrimonium consensisse, audire (sponsis legitime probantibus contrarium) non oportet.

§. 15. Dictum est de sponsalibus & matrimonio, tanquam *contractu.* Agendum nunc est *de ratione Sacramenti;* utroque enim modo spectari potest matrimonium §. 7. in fin. Sponsalia de futuro nec Sacramentum sunt, nec actus spiritualis aut sacer. Cum tamen via sint, & præparatio proxima ad matrimonium, ac præterea impedimentum publicæ honestatis, indeque lites de valore matrimonii postea

initi

initi sæpe producent; expedit sane, longoque & generali usu receptum est, ut de caussis sponsalium, perinde ac matrimonii Ecclesia judicet. Matrimonium indubitato Sacramentum est, nempe inter fideles, seu *baptizatos*. Cum enim Baptismus fundamentum & janua sit aliorum Sacramentorum; qui baptizati non sunt, aliud Sacramentum suscipere non possunt. Hinc matrimonia infidelium secundum leges naturæ inita appellantur *vera* quidem, seu *legitima;* at matrimonia fidelium *vera & rata.* c. 7. de divort. ibi: *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit; quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.* Sacramentum ergo fidei, id est, Baptismus effectum hunc habet in baptizatis, ut eorum vera matrimonia efficiat *rata*, & efficiat *Sacramenta;* qui effectus ex divina institutione, non humana pendet voluntate; uti ipsa significatio sacra matrimonii, qua repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia, divinitus indita est, nec voluntate hominum detrahi aut mutari potest (o).

(o) *Tria hic adnotanda veniunt.* 1. *Matrimonia fidelium appellantur* rata *tum relate ad matrimonia* legitima *infidelium, tum etiam, quando carnali copula nondum consummata sunt, relate ad matrimonia* consummata *fidelium.* 2. *Matrimonia hæc consummata fidelium illam conjunctionem seu* illud conjugium designant, quod inter Christum & Ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum. *At matrimonia fidelium rata, id est, non consummata significant* caritatem, quæ consistit in spiritu inter Deum & animam justam; *uti eleganter exponitur ab Innocentio III. c. 5. de Bigamis. Hinc non par firmitas & indissolubilitas est in matrimonio fidelium rato, & consummato.* 3. *Quia in conjunctione Christi cum Ecclesia est sponsa* unica unici,

ci, *& sponsus* unus unius (*cit. c.* 5.); *hinc in Bigamis deest perfecta significatio Sacramenti, vel mysterii.*

§. 16. Ex ratione Sacramenti duæ emergunt quæstiones. *Prima*, utrum ea separari possit a contractu, ita, ut a fidelibus iniri possit matrimonium tanquam contractus naturalis aut civilis, quin sit Sacramentum? *Secunda*, quid sentiendum sit de matrimonio fidelis cum infideli e. g. a christiano cum muliere hebræa inito. Hæc quæstio refertur ad impedimentum dirimens ex *disparitate cultus*; de quo agetur infra a §. 48. ubi opportune etiam examinantur matrimonia Catholicorum cum Acatholicis contracta. De prima ergo quæstione animadverte, Doctores catholicos, qui contractum matrimonii a ratione Sacramenti separari posse censuerunt, illud tamen affirmasse constanter, quod sine gravi peccato, ac contemtu Sacramenti ea separatio studio fieri non possit: & quod matrimonium inter fideles, etiam ut contractus, sit indissolubile. §. 3. Concil. Trid. princip. de Sacr. Matrim. & can. 7. ibid. Qui ministrum Sacramenti matrimonii presbyterum esse putant, matrimonia clandestina & sine ministro contracta olim valuisse in vim contractus, non Sacramenti, consequenter asserere coguntur.

§. 17. Propositio. *Quando inter fideles validum celebratur matrimonium, contractus a ratione Sacramenti separari non potest*: Prob. 1. Christus validum matrimonii contractum inter fideles initum, signum esse voluit conjunctionis suæ cum Ecclesia, & quidem signum practicum, ut Theologi dicunt, quod præter sacram significationem haberet annexam promissionem gratiæ; nihil autem præterea de forma, de ministro, de requisitis validi contractus definivit. Ecclesia item in Concilio Florentino §. 5. & 7. ac in Triden-

Tridentino can. 1. de Sacr. matr. ſimpliciter, & indefinite abſque ulla exceptione docuit, matrimonium inter fideles eſſe vere ac proprie Sacramentum (*p*). Ergo jure divino ac publico, contractui matrimonii annexa eſt ſignificatio ſacra & promiſſio gratiæ ſacramentalis. Quæ autem jure publico, ac divino præſertim, conſtituta ſunt, privatorum arbitrio mutari non poſſunt (*q*), etſi ipſi gratiæ ab indigne ſuſcipiente Sacramentum, poſſit poni obex.

(*p*) *Conf. Bellarmin. de Matrim. Sacr. l.* 1. *c.* 7. *&* 8.

(*q*) *Qui Baptiſmum vere petit, ac ſuſcipit, intentione ſua efficere non poteſt, ut is ſignum non ſit mortis, ac reſurrectionis Chriſti. Rom. VI.* 3. 4. *Poſtquam Deus in ſignum nunquam deinceps futuri diluvii elegit cæleſtem arcum in nubibus Gen. IX.* 13., *hæc ſignificatio hominum voluntate mutari vel auferri non poteſt. Similiter privatorum arbitrio ſeparari non poſſunt, quæ jure publico etiam humano ſunt connexa. Non poteſt is, qui in minoribus conſtitutus matrimonium contrahit, dicere: Volo contrahere; ſed nolo renuntiare beneficio. Nec aliquis ita dicere poteſt: Volo ſuſcipere ordines majores; ſed nolo obligari ad cælibatum: volo emere reditus beneficii; ſed nolo emere officium ſpirituale, quod reditus annexos habet.*

§. 18. Prob. 2. Secundum Canones c. 7. de Divort. (§. 15.) matrimonia fidelium non tantum vera ſunt & legitima, uti infidelium, ſed *rata*, id eſt, jure approbata, confirmata, ſeu firma; ob hanc cauſam, quia ob Baptiſmum habent ſignificationem ſacram, & quia Sacramenta ſunt. cit. c. 7. ibi: *quia Sacramentum fidei - - ratum efficit conjugii Sacramentum.* Præterea matrimonia etiam clandeſtina, inter ſolos ſponſos nulla Presbyteri adhibita benedictione, ſecundum Concilium Trid. c. 1. de ref. matrim. antequam irritarentur a Concilio, fuerunt *vera & rata.* Ergo ſecundum Canones fuere itidem Sacramenta;

ex

ex quo ipso infertur, ministrum hujus Sacramenti non esse presbyterum.

§. 19. Contra conclusionem objiciunt 1. Nulla est ratio, cur a contractu matrimonii separari non possit qualitas Sacramenti; sane in veteri lege matrimonia etiam in populo fideli non erant Sacramenta. R. n. a. Ratio indicata est §. 17. quia in nova lege matrimonia fidelium habent significationem sacram, & promissionem gratiæ jure publico ac divino annexam, quæ a privatis mutari non possunt. Sunt hæc *signa ad placitum*, non humanum, sed divinum. Dicant adversarii, cur matrimonium suscipi non possit, ut Sacramentum, quin sit contractus; ac dein dicetur, cur iniri non possit, ut contractus, quin sit Sacramentum. Ratio prioris est, quia a voluntate contrahentium pendet: ratio posterioris; quia pendet a voluntate Dei.

§. 20. Objic. 2. Ad Sacramenta perficienda requiritur intentio tum in ministro, qui ea administrat, tum in suscipiente adulto; quod patet ex Concil. Florent. in Decreto Unionis §. 5. & ex Concil. Trid. Sess. VII. can. 11. de Sacr. in genere. At talis intentio sæpissime deest in contrahendis matrimoniis; etsi ipsi contrahentes dicantur ministri ejus Sacramenti. Nam 1. eam intentionem non habent Protestantes, qui matrimonium non habent in numero Sacramentorum. 2. Neque ii Catholici, qui, etsi velint matrimonium contrahere, tamen contraria intentione non volunt, ut id Sacramentum sit, sed merus contractus; quæ intentio sane haberi potest. R. d. a. Ad perficienda Sacramenta requiritur intentio explicita & distincta, n. intentio saltem implicita & generalis, qua quis facere vult, quod Deus instituit: quod alii faciunt fideles, validum matrimonium contrahentes, c. Talis intentio etiam

etiam in Proteſtantibus præſto eſt, qui non concubinatum, ſed matrimonium ſecundum Dei ordinationem inire volunt; quod etiam ipſi, non pro Sacramento quidem ſecundum catholicam doctrinam, ſed tamen pro ritu ſacro habent, cui ſacra ineſt ſignificatio. Error privatus, quo matrimonium in numero Sacramentorum eſſe negant, tam parum obeſt Sacramento, quam parum indiſſolubilitati matrimonii officit error, quo illud ex cauſa adulterii ſolvi poſſe opinantur, modo conditionem ſolubilitatis in pactum non deducant. Exemplum iſtiusmodi intentionis implicitæ ex legibus videtur afferendum iſtiusmodi. Qui ſervum inſtituit heredem, *etſi ſine libertate*, tamen habebit eundem heredem, ſimulque efficiet liberum. §. 2. Inſt. Qui, & ex quibus cauſ. manumitt. non poſſ. In iis, qui a contractu matrimonii rationem Sacramenti poſitive excludunt, duæ habentur intentiones pugnantes, inter quas ea prævalet, quæ eſt efficax, ſeu appretiative major, ut Theologi docent de Sacramentis in genere; haud ſecus ac contingit in eo, qui peccatum efficaciter vult ut delectabile vel utile; etſi expreſſe diceret, ſe nolle offenſam Dei.

§. 21. Objic. 3. In Baptiſmo præter voluntatem abluendi, neceſſaria eſt intentio faciendi ritum ut ſacrum, aut faciendi, quod facit Eccleſia: ergo pariter in matrimonio præter voluntatem id contrahendi, neceſſaria eſt intentio faciendi ritum ſacrum. R. 1. Chriſtus non quamvis ablutionem pro Baptiſmo inſtituit, ac pro ſigno mortis & reſurrectionis ſuæ eſſe voluit, ſed ſacram, qualis fit in Eccleſia: ergo concipi poteſt, quomodo ablutio profana aut indifferens per intentionem determinari, ut ſacra, debeat. At vero quivis validus contractus matrimonii inter fideles initus ſacram ſignificationem ex Chriſti inſtitutione habet; ne-

que etiam in eo implicita illa & generalis intentio deficit, ut declaratum est §. præc.

§. 22. Objic. 4. Auctores sat multi ac graves docent, ministrum matrimonii esse sacerdotem, non ipsos contrahentes: ergo qui sine sacerdote valide contrahunt, matrimonii contractum celebrant; Sacramentum non perficiunt. R. tr. a. Est tamen ea sententia ante Melchiorem Canum vix cognita. Adversarii sic ajunt: Minister matrimonii est sacerdos, non ipsi contrahentes: ergo contractus separari potest a Sacramento. E contrario nos sic disserimus: Contractus matrimonii separari non potest a ratione Sacramenti: ergo minister non est sacerdos, sed contrahentes. Cum utrinque ex eo, quod certum penitus ac definitum non est, inferatur incertum; nec conveniat inter litigantes, utrum utro certius sit: nihil hac argumentandi forma confici utrinque potest; sed argumenta opinionum ponderanda sunt.

§. 23. Exposita notione matrimonii, quatenus contractus & Sacramentum est, de ejusdem *Impedimentis* maxime agitur in Jure sacro. Ex his enim legitima pendent matrimonia, id est, legibus divinis, ecclesiasticis, civilibus consentanea. Præfigenda est recepta distinctio impedimentorum, quorum alia nuncupantur *impedientia*, quæ matrimonium certis personis, aut temporibus reddunt illicitum, sic tamen, ut contractum sit habendum pro valido. §. 11. n. 1. Alia *dirimentia*, quæ matrimonium non modo illicitum, sed etiam invalidum ac nullum efficiunt (*r*).

(*r*) *Impedimenta impedientia jure hodierno comprehunduntur his versiculis:*

Sacratum tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

De

De tempore sacrato, quo generaliter interdictæ sunt solemnitates nuptiarum, ac de Vetito, seu interdicto speciali, ecclesiastica auctoritate imposito quibusdam personis contrahere volentibus, agitur tit. 16. de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ. *De Sponsalibus, quæ impediunt matrimonium, tractatur tit.* 4 de Sponsa duorum: *De Voto, quatenus nuptias impedit, tit.* 6. Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.

Impedimenta dirimentia:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas;
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis;
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

§. 24. Impedimenta dirimentia, quæ sunt momenti maximi, reduci possunt ad classes tres. I. Si in ipsam conventionem, qua matrimonii contractus initur, aut in reverentiam Sacramenti vitium incidit, quo matrimonium per leges dirimitur. In conventionem incidere potest *error* circa personam, *vis* injusta & gravis; quo etiam pertinet *raptus* sponsæ, vel sponsi, matrimonii contrahendi causa. Ob reverentiam Sacramenti matrimonium dirimit *disparitas cultus.* II. Cor. VI. 14. seq. De hisce impedimentis dirimentibus infra agetur hoc titulo, cum alius specialis non extet. Conventioni præterea obsunt 1. unicus qualitatis error, nempe *conditio servilis.* Tit. 9. *de conjugio Servorum.* 2. Omissio solemnitatis substantialis. Tit. 3. *de clandestina desponsatione.* 3. Conditiones contractui appositæ, quæ naturæ matrimonii repugnant. Tit. 5. *de Conditionibus appositis in desponsatione.*

§. 25. II. Alia impedimenta dirimentia proveniunt ex qualitate personæ, quæ eam absolute inhabilem nunc reddit ad omne matrimonium. Ea quali-

tas vel est *naturalis*, ceu defectus pubertatis tam naturalis, quam legalis. tit. 2. *De desponsatione impuberum:* Impotentia ad actus conjugales. Tit. 15. *De frigidis & maleficiatis, & impotentia coeundi.* Quamvis hæc impotentia, si est respectiva, ad sequentem classem referri possit. Aut est qualitas *ex statu adventitio* proveniens, qui matrimonium dirimit; uti est status conjugalis prior, & adhuc perdurans; quod est impedimentum ligaminis Tit. 4. *de Sponsa duorum*, aut status clericalis sacer, vel status religiosus Tit. 6. *Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.*

§. 26. III. Denique nonnulla sunt impedimenta dirimentia, quæ personas non absolute inhabiles reddunt ad ineundum matrimonium, sed relate ad quasdam alias personas; ceu 1. cognatio spiritualis. Tit. 11. *de cognatione spirituali.* 2. cognatio legalis. Tit. 12. *de cognatione legali.* 3. Cognatio naturalis intra certos gradus. 4. Affinitas item ex copula licita vel illicita proveniens. Tit. 13. *De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.* Tit. 14. *de Consanguinitate & Affinitate.* 5. Justitia publicæ honestatis ex sponsalibus & matrimonio rato proveniens (§. 14.), cum per modum affinitatis sit constituta, ad impedimentum affinitatis referenda est. 6. Aliquando personæ, quæ contrahere volunt, delicto inhabiles se effecerunt, quo minus valide contrahant inter se; quod appellatur *impedimentum criminis.* Tit. 7. *De eo, qui duxit, quam polluit per adulterium.* Ceterum impedimenta hæc omnia, undelibet profecta sint, per modum *inhabilitatis* absolutæ aut respectivæ, censentur constituta.

§. 27.

§. 27. De Impedimentis dirimentibus hactenus enumeratis variæ agitantur disputationes. I. Quænam eorum ex jure naturali, & divino, quæ ex jure mere humano proveniant? In his mutatio, aut dispensatio locum habet, non item in illis. II. Quæ humana potestas, ecclesiastica, an politica, an utraque, jure proprio gaudeat constituendi impedimenta dirimentia matrimonii. Cum jure ferendi leges impedimentorum per se connexum est jus, eas leges mutandi, abrogandi, in iis dispensandi. Atque hæ sunt quæstiones Juris Ecclesiastici publici. III. Utrum impedimentis dirimentibus apud Catholicos receptis, pariter obligentur Acatholici? IV. Utrumne exorto dubio de impedimento dirimente matrimonium contrahi, aut in eo perdurari possit? Sed hæc est quæstio, Theologiæ moralis propria; in qua fit distinctio inter dubium facti & juris. In *dubio facti* matrimonia jam contracta Ecclesia non quidem statim dissolvi permittit, sed tamen pro certis non probat, uti patet ex c. 44. de Sent. excomm. Aliter sentiendum est *de dubio juris*, quando sententiæ juris probabilis accedit stylus curiæ, & praxis Ecclesiæ.

§. 28. I. *Jure naturali, aut certe divino* positivo matrimonium dirimit 1. Error circa personam. 2. Admodum probabiliter vis injusta & gravis. 3. Conditiones contractui appositæ, quæ repugnant substantiæ matrimonii, quatenus ex divina institutione est. 4. Impotentia antecedens & perpetua. 5. Ligamen. Concil. Trid. Can. 2. & 7. de Sacr. Matr. 6. Primus consanguinitatis gradus lineæ rectæ (s). Reliqua omnia Jure Ecclesiastico scripto aut consuetudinario sunt introducta vel confirmata & assumta, ex legibus nempe divinis V. T. aut politicis aut moribus cultarum gentium.

 (s) *Idem*

(s) *Idem videtur dicendum de quovis ulteriore gradu lineæ rectæ. Conf. Jus Nat. Sociale §. 179. ubi etiam de primo gradu lineæ obliquæ disserui.*

§. 29. II. Quæstio Juris Ecclesiastici publici *de jure statuendi impedimenta dirimentia* matrimonium examinata a me fuit in Jur. Eccl. Publ. C. X. §. 394. ubi binas posui decisiones: 1. Penes Ecclesiam est, jure proprio & intrinseco statuere impedimenta matrimonium dirimentia. 2. Penes potestatem politicam est, statuere quæcunque impedimenta matrimonii pro subditis infidelibus, quorum conjugiis inesse non potest ratio Sacramenti: pro fidelibus item subditis impedimenta quæcunque relate ad effectus civiles, non autem relate ad vinculum matrimonii sine accedente auctoritate, vel approbatione Ecclesiæ. Ratio petitur tum ex vi Sacramenti matrimoniis fidelium inhærentis (t), tum ex perpetua traditione, qua constat, Ecclesiam semper auctoritatem suam, approbationem, & jurisdictionem exercuisse in approbandis vel rejiciendis matrimoniis etiam contra politicas leges. Patet hoc ex Concil. Trid. c. 1. de ref. matr. circa matrimonia clandestina, aut contracta sine consensu parentum; quæ declarantur pro ratis & veris, *quamdiu Ecclesia irrita non fecit.* Jus igitur statuendi impedimenta irritantia *privative* Ecclesia sibi vindicat. Idem patet ex Can. *Quædam lex.* 20. XXXV. q. 2. & 3. Patet denique ex recepta & antiquissima praxi in foro ecclesiastico recepta, qua matrimonia, quæ a legibus politicis habentur incesta & irrita, non solvuntur, si ante Baptismum fuere contracta; quo tempore contrahentes, etsi subjecti fuerint foro politico, non tamen subjecti erant legibus Ecclesiæ; quia nimirum leges politicæ non censebantur attingere ipsum vinculum matrimonii sine auctoritate Ecclesiæ. Patet hoc ex Concil. Agathensi an. 506. Can. 61. apud Gratian.

tian. Can. *de incestis.* 8. XXXV. q. 2. & 3. Ex Concil. Epaonensi an. 517. Can. 30. Ex Concil. Aurelianensi an. 538. Can. 10. ibi: *De incestis conjunctionibus ita, quæ sunt statuta, serventur, ut his, qui aut modo ad Baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali prædicatione in notitiam antea non venerunt, ita pro novitate conversionis ac fidei suæ credidimus consulendum, ut contracta hucusque hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum &c.* Hac eadem praxi & sententia nititur decisio Decretalium c. 8. de Divort. de paganis, qui uxores in secundo, vel tertio, vel ulteriore gradu sibi conjunctas acceperant. Ibi: *Cum in præmissis gradibus a paganis quoad eos matrimonium licite sit contractum, qui constitutionibus Canonicis non arctantur - - - in favorem præsertim christianæ religionis & fidei*[t] *- - fideles hujusmodi matrimonialiter copulati libere possunt & licite remanere conjuncti; cum per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.* Similis decisio extat c. ult. de Divortiis.

(*t*) *Instar principii illud habendum est: Sacramenti ratio in eo sita est, ut res externa, seu signum visibile ex Christi institutione & significet, & efficiat gratiam internam, seu invisibilem. Hanc gratiam matrimonium significat, & efficit, ratione vinculi, seu conjunctionis, quam inter conjuges producit, id est, ratione contractus validi. Igitur matrimonium ratione vinculi, seu contractus validi significationem Sacramenti a Christo accepit. proindeque ratione vinculi seu contractus validi jurisdictioni ecclesiasticæ a Christo subjectum fuit, quoad ea, quæ ipso jure divino non determinata, sed pro temporum ratione determinanda Ecclesiæ relicta sunt.*

§. 30. Quæ contra hoc jus Ecclesiæ in favorem politicæ potestatis, vel potius assentationis causa, atque odio ecclesiasticæ potestatis solent objici, vix nova sunt (*u*), si sophismata excipias, quibus rem de

se planam & expeditam nonnulli implicare atque obscurare nituntur. Ac primo, quod alias faciunt, opiniones quasdam Auctorum, etsi a plurimis rejiciantur, consiliis suis accommodatas, tanquam certas arripiunt, & extra controversiam positas; quibus dein suas conclusiunculas audacter inaedificant. Sic pro certo habent hoc loco, contractum a Sacramento, in matrimoniis fidelium quoque separari posse. Dein materiam hujus Sacramenti esse contractum *civilem* docent, politicae potestati & dispositioni subjectum: huic contractui civili Christum addidisse dignitatem Sacramenti, nihil imminuta politica potestate; quia, ut ajunt, Evangelium non abolet politiam, neque Christus de Principum potestate quidquam detraxit. Principes, inquiunt, de quovis contractu boni publici causa possunt statuere, contrahentes inhabilitare, praescribere solemnitates, quibus praetermissis contractus nullus sit. Ergo, inferunt, idem de contractu matrimonii existimari debet. Ad haec jam concise & presse respondendum est.

(u) *Pleraque erudite, solideque confutata sunt ab Henrico Canisio Noviomago. JCto & Ss. Canonum Professore in Academia Ingolstadiensi, in Opusculo: quod inscribitur:* Refutatio trium tractatuum nuper editorum a quodam JC. Heidelbergensi, sub Marsilii de Padua, & Guilhelmi Occami nomine. Ingolstad. a. 1600.

§. 31. Dicunt 1. Contractus civilis est materia Sacramenti: quivis autem contractus civilis praescriptis a politica potestate solemnitatibus, aut qualitatibus personarum contrahentium, validus aut invalidus effici potest. Ergo etiam contractus matrimonii validus aut invalidus effici potest politica potestate; in quo ipso consistit jus statuendi impedimenta matrimonium dirimentia. R. n. M. aut d. Contractus civilis est materia Sacramenti, quatenus Ecclesia eum con-

tractum

tractum pro efficiendo matrimonii vinculo, ac Sacramento approbat, ratumque habet, c. independenter ab Ecclesiæ approbatione, n.

§. 32. Dicunt 2. Alii contractus civiles, ut pro validis aut nullis habeantur, non pendent ab approbatione & auctoritate Ecclesiæ: ergo neque contractus civilis in Sacramento matrimonii. R. d. a. Alii contractus mere temporales, iidemque justi, ab Ecclesiæ approbatione non pendent, c. a. contractus, qui ratione vinculi seu interni valoris est spiritualis, & ratione Sacramenti Ecclesiæ jurisdictioni subjectus, ab Ecclesiæ approbatione non pendet, n. a & c.

§. 33. Dicunt 3. Si Christus contractum *civilem* pro materia Sacramenti instituit, Ecclesia nihil potest in eo mutare, neque circa eum jurisdictionem exercere: at vero Christus contractum civilem pro materia Sacramenti instituit. Ergo. R. d. M. Si Christus contractum civilem pro materia Sacramenti ita instituit, ut quivis contractus matrimonii potestate politica ordinatus, simul esset Sacramentum; tunc certe Ecclesia nihil potest mutare, c. M. Si Christus contractum civilem non aliter instituit pro materia Sacramenti, nisi quatenus is approbatione & auctoritate Ecclesiæ esset idoneus efficiendo matrimonii vinculo, n. M. & sic d. m. n. C. Nego, quod Christus matrimonium sic elevarit ad Sacramentum, ut quivis contractus civilis, politica potestate ordinatus, mox signum esset rei sacræ, & Sacramentum. Quem enim contractum civilem a Christo sic designatum dicent? 1. Non *contractum Judæorum*, in quo & jus repudii & impedimenta nuptiarum Levit. XVIII. continebantur; atqui libellus repudii a Christo rescissus est, & Ecclesia in quibusdam impedimentis, quæ in Levitico exprimuntur,

 muntur,

muntur, dispensare potest, & alia nova impedimenta constituere. Concil. Trid. Can. 3. de Sacr. Matrimon. 2. Non *contractum Romanorum*, 3. nec *contractum Barbarorum*; cum multis uterque fuerit superstitionibus fœdatus, sæpe iniquus, perpetuo variabilis, & paulo post per religionem christianam abrogandus.

§. 34. Dicunt 4. Si contractus civilis non est materia Sacramenti, explicari omnino nequit, quæ sit istius Sacramenti materia, quæ forma? R. Contractus matrimonii dicitur *mere naturalis*, qui spectato consensu & habilitate personarum contrahentium nihil continet neque positivum, neque negativum, nisi quod immediate ex jure naturali aut divino ad validum matrimonium requiritur; atque is spectatur in infidelibus, qui Ecclesiæ legibus non obligantur. Contractus *civilis* appellatur, qui præter requisita contractus naturalis ad valorem requirit solemnitates, aut positivas vel negativas personarum qualitates non naturalibus, sed *civilibus* legibus præscriptas. Ac talis contractus, etsi naturalia requisita positiva continere debeat, non est *mere* naturalis. Christus pro materia matrimonii neque naturalem, neque civilem contractum instituit *hoc sensu*, ut quivis contractus vel mere naturalis, vel civilis illico haberi *debeat* pro signo rei sacræ, & pro Sacramento. Nam Ecclesiæ suæ potestatem dedit, præscribendi tum solemnitates, tum determinandi qualitates personarum, quibus neglectis matrimonii vinculum non coalesceret, consequenter nec signum conjunctionis suæ cum Ecclesia existeret. Nec sane potuit Christus matrimonii materiam, cum id pro tota Ecclesia sit institutum, legibus civilibus tam difformibus, variabilibus, sæpe iniquis & superstitiosis determinandam relinquere. Dicendum ergo restat: *Materia matrimonii* ex Christi institutione est is contractus, quo

quo ex approbatione Ecclesiæ matrimonii vinculum coalescit, atque is contractus situs est tum in traditione juris ad actus conjugales mutuo facta inter personas habiles; circa hoc enim *jus* tamquam *materiam* contractus versatur: tum in mutua acceptione ejus juris secundum Ecclesiæ leges expressa, tanquam *forma*. Nam cujusvis contractus forma, sive is sit consensualis, realis, verbalis, aut literalis, censetur esse id, quo contractus in suo genere perficitur; ac continet etiam solemnitates externas, si ad perfectionem actus, tanquam necessariæ, legibus præscriptæ sint (*x*).

(*x*) *Materia & forma in iis Sacramentis maxime conspicua est, in quibus verbum accedit ad elementum, indeque fit Sacramentum. Eugenius IV. in Decreto pro Armenis catholicam de Sacramentis doctrinam exponens, primo generatim, Sacramenta novæ legis tribus perfici ait*, rebus tanquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. *Dein explicat speciatim materiam & formam Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Ordinis, extremæ Unctionis. De Sacramento pœnitentiæ tradit in hunc modum:* Quartum Sacramentum est pœnitentia, cujus QUASI MATERIA sunt actus pœnitentis. - - Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis. *At de Sacramento matrimonii nec materiam, nec quasi materiam, nec formam, nec ministrum a contrahentibus diversum exprimit, sed ita docet*: „Septimum est Sacramentum „Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi „& Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem: *Sa„cramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo „& Ecclesia.* Causa efficiens matrimonii, regulariter „est mutuus consensus per verba de præsenti ex„pressus." *Plura non addit Pontifex huc pertinentia; sed mox ad triplex matrimonii bonum explicandum progreditur, nempe bonum prolis, fidei, & Sacramenti, de quo infra dicam tit. de Conditionibus appos. in desponsatione. Ob hanc igitur causam, cum in matrimonio non æque appareat elementum ac verbum, uti in aliis Sacramentis, neque in Conciliis aut Pontificum Decretis materia & forma singillatim exprimatur, contigit,*

git, ut Theologi in diversissimas hac in re abirent sententias. Conf. Melch. Canus l 8. de Locis Theol. c. 5. Tournelius de Sacr. Matr. Q. III. Ludov. Habert. T. VII. Theol Dogmat. & Mor. Analogia non ex Physica, quod veteres Scholastici de materia & forma reliquorum Sacramentorum fecerunt, sed potius ex Jurisprudentia petenda est, quæ de materia & forma pactorum & contractuum differit Sed hodierni Novatores, quando de materia matrimonii in favorem civilium Magistratuum disputant, rem totam nimis ruditer & crasse, sibi proponunt aliisque. Contractum civilem tanquam materiam Sacramenti sumunt, quæ instar ceræ aut luti solo Principum arbitrio componi, ac fingi possit; cui dein voluntate contrahentium ratio Sacramenti tanquam forma superveniret, aut, si nollent, non superveniret, perinde uti ceræ signum imprimi potest, non item debet. At enim quando personæ habiles legitime contrahunt, unus peragitur, isque indivisibilis actus, quem Christus illius mysterii signum esse voluit, quo sibi Ecclesiam desponsavit.

§. 35. Dicunt 4. Christus Evangelio suo non derogavit potestati politicæ: ergo matrimonium, etsi rationem Sacramenti acceperit, eidem potestati etiam quoad valorem & vinculum subjacet nunc, uti antea, cum Sacramentum non esset. R. 1. d. a. Christus non derogavit politicæ potestati iis in rebus, & negotiis, quæ a Christo ejusque Evangelio intra sphæram rerum & negotiorum civilium relicta sunt, c. a. Iis etiam in rebus & negotiis, quæ a Christo & Evangelio qualitatem, & naturam sacram, & spiritualem acceperunt, n. a. & c. Leges civiles inter servos non matrimonium, ejusque jura agnoscebant, sed contubernium dominorum potestati subjectum. At quia teste Apostolo quoad divinam religionem nulla est inter servos & liberos distinctio, Ecclesia inter servos vera matrimonia habere locum docuit, quæ, etsi invitis Dominis essent inita, solvi non possent. C. 1. de Conjugio Servorum. Nihil tamen per hoc aliis Dominorum juribus de-

tractum est. Huc etiam pertinet C. 1. h. t. Cum lege civili Saxonibus & Francis non liceret matrimonium contrahere cum alienigena (quod de Saxonibus testatur Adamus Bremensis l. 1. Hist. Eccl. c. 5.); Synodus tamen Triburiensis matrimonium inter virum Francum, & mulierem de Saxonia validum declaravit in ratione vinculi & Sacramenti, salvis effectibus, qui a civilibus legibus pendebant. R. 2. Si Christus Evangelio suo non derogavit politicæ potestati: tamen Evangelium etiam politicis Magistratibus & Principibus promulgatum est; qui iidem Ecclesiæ & legibus Ecclesiæ, si Christiani sint, actu subjacent. Æque certum est, quod Christus rem omnem sacramentariam non politicis magistratibus, sed Præsulibus Ecclesiæ subjecerit. R. 3. Falsitatem ejus asserti: *Christus non derogavit politicæ potestati*, in sensu a Novatoribus intento enucleate ostendi in libro Isagogico §. 187. & tribus sequentibus. Quando res vel actus qualitatem sacram & spiritualem induit, per se fit juris divini, & ecclesiastici, neque tunc speciali derogatione opus est. Arg. §. 7. Inst. de rerum divisione.

§. 36. Cum jure statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, connexum est *jus eadem mutandi aut imminuendi* generaliter, quod a Concilio Lateranensi circa gradus consanguinitatis & affinitatis, & a Tridentino circa impedimentum publicæ honestatis & cognationis spiritualis factum est; jus itidem in iisdem justa ex causa *dispensandi*. Decidendum est: I. Quando *Ecclesiæ* tribuitur jus statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, nomine *Ecclesiæ* non veniunt singuli Episcopi, sed Concilia generalia, Summus Pontifex, & inveterata consuetudo, quæ vim legis habet, C. 1. de cognat. spir. Nam post disciplinam Ecclesiæ jam generaliter constitutam, in causa Sacramentorum præci-

præcipue, ad conservandam uniformitatem hoc negotium juste annumeratur causis majoribus. II. Inferiores Prælati aut Synodi in generalibus Ecclesiæ legibus dispensare non possunt; de qua re Conf. L. I. Decret. §. 190. & seq. & §. 518. & seq. Exceptiones sunt: nisi dispensatio per ipsos Canones Episcopo concedatur (*y*); aut Papa det facultatem, uti constat de facultatibus quinquennalibus Episcoporum Germaniæ; aut denique indubitata & inveterata consuetudo tale jus dispensandi quibusdam Episcopus vindicet (*z*). III. Ex tali consuetudine Episcopi dispensant in impedimentis mere impedientibus, nisi provenerint ex votis perpetuæ castitatis, aut ingrediendæ religionis, Summo Pontifici reservatis, vel ex Sponsalibus cum altero initis, quæ hoc invito sine injuria relaxari nequeunt. IV. Quando non agitur de matrimonio contrahendo inter impeditos impedimento dirimente, sed jam contracto cum ejusmodi impedimento, tunc, ut docet Cabassutius in Theor. & Praxi Jur. Can. cum aliis l. 3. c. 27. n. 3. & 7. dispensationis potestas est penes Ordinarios, *concurrentibus simul sex conditionibus sequentibus.* 1. *Ut jam fuerit contractum matrimonium.* 2. *Ut contractum fuerit ignoranter quoad impedimentum.* 3. *Ut sit consummatum.* 4. *Ut impedimentum sit occultum.* 5. *Ut partes sint adeo inopes, ut non possint ire vel mittere ad Papam vel Legatum.* 6. *Ut si fieret separatio, scandalum verisimiliter oriretur. Si vero aliqua absit ex præfatis circumstantiis, & personæ sint pauperes, aut rudes ac rusticæ, officium erit Ordinarii, prosequi hanc dispensationem in forma pauperum ad Sedem Apostolicam, ut plane gratis, ac sine compositione obtineatur.* V. Alium dispensationis Episcopalis casum memorat, non approbat Benedictus XIV. de Syn. Diœces. l. 7. c. 31. n. 2. quando agitur de matrimonio non contracto, sed *proxime* contra-

contrahendo, sive quando tales urgent rerum circumstantiæ, ut nec Summus Pontifex consuli, nec matrimonii contractus, ad quem omnia sunt dispofita, differri possit sine scandalo, & paratorum ad nuptias infamia. Tum, putant nonnulli Auctores, Episcopum dispensare posse *ex* præsumta voluntate Summi Pontificis. At enim præsumtio ex urgente causa sive Epiikia licitum facere potest, quod per se licitum non est, non autem confert jurisdictionem, quæ & necessaria est ad actum, & quæ pro casu urgentis necessitatis non fulcitur vi legitimæ consuetudinis. Conf. dicta l. 1. Decr. §. 185. n. II. de Epiikia. l. III. §. 177. de consensu *præsumtó*. Aliud est, si pro casu necessitatis jurisdictio tribuitur ipso jure. Exemplum extat in Concil. Trid. Seff. XIV. c. 7. de casuum reservatione; ibi: *Ut nulla sit reservatio in articulo mortis:. atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Aliud exemplum suppeditat Rituale Augustanum Tit. 38. de Sacr. Matr. n. 19. ibi: *Quodsi vel a Confessario vel a Parocho ita sero inter contrahentes deprehendatur impedimentum occultum dirimens ab Episcopo dispensabile, ut ante diem nuptiarum non possit obtineri dispensatio, ad evitandam omnem confusionem, delegamus omnibus Confessariis & Parochis potestatem in tali casu dispensandi in foro interno ad valorem matrimonii, & ad effectum licite reddendi vel petendi debitum; dummodo statim requiratur dispensatio per literas ab Ordinario in ordine ad alios effectus matrimonii validi.*

(y) *Exempla complura hujusmodi concessionis extant in Concilio Trid. & in causa Matrimonii Seff. XXIV. c. 1. de ref. Matr. circa prævias denuntiationes lege præscriptas. Ibi*: Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur: quod illius prudentiæ & judicio sancta Synodus relinquit.

linquit. *De dispensandi jure in impedimentis dirimentibus multa agitata sunt, scriptaque occasione Punctationis Emsensis. Conf. dissertatio inscripta:* Expostulatio cum Bonnoso Reschampio. *Cap III.*

(z) *Natalis Alexander Theol. Dogmat & Moral. de Matr. l. 2. art. 13. Reg. 12. ait:* Si dubitet, aut merito dubitare debeat Episcopus, an dispensationes a suis decessoribus concessæ, sint ex privilegio reali & perpetuo, an ex privilegio personali, dispensare non potest, nisi & ipse dispensandi privilegium a Summo Pontifice obtineat. In re enim Sacramenta spectante, non licet minus probabilem, ac minus tutam opinionem sequi, relicta probabiliore, atque tutiore.

§. 37. III. Inter quæstiones de impedimentis dirimentibus §. 27. propositas, tertia erat hæc, utrum iisdem etiam ligentur Protestantes in locis, ubi vi pacis Westphalicæ tolerantur? De qua re I. distingui oportet *inter forum externum*, in quo matrimonia secundum principia & consuetudines cujusvis sectæ inita habentur pro validis, & liberi legitimi: & inter *forum internum, ac canonicum*, quod spectatur pro casu, quo Acatholici conjugati, qui cum impedimento contraxerunt, aut pars alterutra ad sinum veræ Ecclesiæ revertuntur, aut quo ipsi causas suas matrimoniales ad forum catholicum deferunt; quod sæpe factum est ab ipsis Principibus Protestanticis. II. In foro canonico liberi Catholicorum habentur legitimi, si matrimonium inter affectos impedimento dirimente initum fuit bona fide, saltem partis unius, quando de solemnitatibus ab Ecclesia catholica præscriptis in ipso contractu nihil ab ipsis prætermissum fuit. Ob hanc clausulam valde dubium est, utrum hic favor æque pertineat ad Acatholicos, qui bona etiam fide, id est, cum ignorantia impedimenti matrimonium cum impedimento dirimente ineunt. III. His præno-

prænotatis decidendum: Impedimentis matrimonii ab Ecclesia catholica statutis ligantur etiam Acatholici. Prob. 1. Acatholici per defectionem ab unitate Ecclesiæ pro foro interno & canonico non liberantur a jurisdictione, & legibus Ecclesiæ: imo cum subjectio erga hierarchicam Ecclesiæ potestatem sit juris divini, nulla contra eam præscriptio, nulla consuetudo, nullum privati, publicive pacti genus habere locum pro foro interno potest. Si ea *suspensa* dicitur, aut quiescere cogitur necessitate temporum, totum id ad forum externum spectat. Prob. 2. Dici non potest, quod ipsa Ecclesia leges impedimentorum relate ad Acatholicos revocarit, aut eorum matrimonia contra leges inita pro validis habeat in foro suo. Nam contrarium patet *primo*, quia Episcopis catholicis singulariter conceditur potestas (quæ continetur inter facultates quinquennales), dispensandi cum Acatholicis reversis, in contractis matrimoniis, etiam in secundo gradu. *Secundo.* Constat plurimis exemplis, matrimonia Acatholicorum ob interveniens impedimentum, declarata fuisse invalida tum ab Episcopis, tum etiam a Summis Pontificibus (*aa*). *Tertio* Benedictus XIV. Tom. III. Bullar. Constit. 2. quæ incipit: *Singulari Nobis.* recenset matrimonium Judæi cum muliere hæretica initum, adeoque cum impedimento dirimente, quod vocatur *disparitas cultus;* ac decidit, Judæo baptizato & muliere ad fidem Ecclesiæ reversa debuisse revalidari matrimonium; quippe quod antea non valuisset; quia mulier hæretica tenebatur lege (*bb*).

(*aa*) *Exempla toti Germaniæ nota, & a Scriptoribus etiam Protestanticis commemorata circa matrimonia illustrissimorum Acatholicorum recenset Zech de Matrimonio* §. 302.

(*bb*) *Contraria Acatholicorum consuetudo objici non potest pro foro interno & canonico. Nam vis consuetudinis non nititur factis agentium contra leges, sed consensu sal-*

tem legali; qui deest in hac re; quia Romanus Pontifex Acatholicos legibus impedimentorum ligatos censet. Dein cum Catholici cum Acatholicis mixti, atque in una communitate degant, dicendum esset, consuetudine sublatas esse leges pro una parte communitatis, pro altera ejusdem communitatis parte non esse sublatas; quod abhorrere videtur a ratione juris, nisi singularia adsint argumenta, qualia de matrimoniis in Hollandia contractis suppeditavit declaratio Benedicti XIV. edita 4 *Nov.* 1741. *ex qua colligitur, Catholicos & Acatholicos una etiam in civitate degentes duas veluti communitates constituere.*

§. 38. A generali impedimentorum doctrina descenditur ad particularia impedimenta *Erroris*, *Vis*, & *Raptus*; quæ in ipso actu sponsalium de futuro aut præsenti intervenire possunt, eaque reddunt nulla: ad impedimentum item *disparis cultus*, quod refertur ad rationem Sacramenti. *De Errore* decidendum est: I. Error aliquis sponsalia & matrimonium reddere potest irritum, adeoque est impedimentum dirimens & jure quidem naturali. Nam utrinque requiritur consensus, sine quo non fit conventio. At *nullus est consensus errantis*: & *errantis nulla voluntas est*. l. 8. & 9. C. de juris & facti ignorantia. Dein Nuptias non concubitus, sed *consensus* facit l. 30. D. de R. J. At vero *non consentiunt, qui errant. Quid enim tam contrarium consensui, quam error?* l. 15. D. de jurisd. Hoc jam præstabilito, quærendum est, *qualis* error sit impedimentum dirimens sponsalium vel matrimonii. Nam error contingere potest in *persona*, siquis duo individua nota habet, & *intentionem* contrahendi affigit uni, reipsa autem ex errore contrahit cum alio: *in qualitate*, siquis unum individuum notum habet, quocum & *vult* contrahere, & reipsa contrahit; sic tamen, ut ex errore putet, in eo inesse qualitatem e. g. opes, nobilitatem, quæ non inest.

§. 39.

§. 39. Decidendum est II. Error in persona reddit nulla & irrita sponsalia ac matrimonium, & jure quidem naturali. Nam individuum personæ ingreditur substantiam consensus, & contractus. §. 13. Error autem circa substantiam jure naturali irritum reddit omnem contractum; quod per se ex Jurisprudentia naturali evidens est.

§. 40. III. Error in qualitate sponsalia & matrimonium non reddit irrita, nisi 1. sit qualitas conditionis servilis a contrahente ignorata, de qua agitur Tit. *De conjugio Servorum;* aut nisi 2. certæ qualitati expresse alligetur intentio contrahentis, ita, ut nisi hæc qualitas positiva aut negativa in subjecto insit, positive nolit aliquis contrahere, vel actu suo obligari. Sed in matrimoniis contrahendis id nec præsumitur, neque facile permittitur; quia in matrimonio utraque pars contrahens absolute dicere censetur: *Accipio te in meam, & in meum.* Sola dispositio habitualis, ob quam contrahentes perfecto jam negotio sæpe in ejusmodi gemitus erumpunt: *Si scivissem, non contraxissem;* contractum non reddit irritum; quia in contractibus non id spectatur, quid facturus quis fuisset in certa hypothesi, sed quid actu fecerit (cc). Si per qualitates designatur certum individuum personæ cognitæ, error qualitatis dicitur redundare in substantiam, efficitque errorem personæ, Exemplum ejusmodi qualitatum extat Gen. XXIV. 14. Obvium illud est, siquis contrahere velit cum primogenita, eique substituatur secundogenita; modo constet, utramque reipsa existere.

(cc) *Alia est quæstio de obligatione manifestandi certas qualitates, vel defectum earundem, si pars altera circa eas versari in errore cernitur; uti si sponsus reputaret sponsam nobilem, divitem, virginem, cum tamen non* C 2 *sit;*

sit: tenetur sponsa vel patefacere hos defectus, vel abstinere a contractu, si possit præsumere futuram sponsi gravem indignationem. Si error in sponsalibus de futuro ex dolo alterius provenit, is deprehensus justam præbet resiliendi causam. Ceterum ut pateat, datas notiones erroris circa personam & qualitatem recte conceptas esse, eædem exemplis celebrium casuum sunt declarandæ.

§. 41. Summæ Tabienæ Parte II. Impedimento I. n. 4. narratur hæc species: „Quid esset dicendum ad „casum, qui contigit Mutinæ tempore, quo hæc scribebam Bononiæ, scilicet an. 1513. de quo fui interrogatus; videlicet erat quidam habens duas filias, „quarum prima non erat multum sana, neque pulchra: secunda vero erat pulcra & sana. Quidam vero juvenis videns hanc secundam dixit patri, quod „illam acciperet in uxorem. Pater respondit, quod „non erat consuetudo, ut secunda prius nuptui tradatur ante primam; & quod, si volebat primam, quæ „æque bona erat, sibi eam traderet. Iste juvenis, qui „nunquam viderat primam, misit quemdam amicum „suum, ut videret eam; cui amico ostenderunt secundam, dicentes, eam esse primam. Ille vero amicus retulit illi juveni, quod esset pulcra, & fortis, „& bona pro eo. Venit igitur iste juvenis ad domum istarum, & præsentaverunt sibi primam, cum „qua contraxit per verba de præsenti, credens, quod „esset illa, quæ fuerat ostensa amico suo. Cognita „autem deceptione voluit dimittere eam, allegando, „quod fuisset error personæ. Respondi, quod matrimonium teneret, & non fuit error personæ, sed „qualitatis." Hanc decisionem passim sequuntur Auctores; quia intentio contrahendi non poterat a juvene alligari ad primam, quæ expresse ipsi negata fuerat a patre earum filiarum. Cum ergo & intentio contrahendi, & executio contractus respexerint idem indi-

individuum, error in persona non contigit. *Dices:* Intentio contrahendi tendebat in illam, quæ fuerat ostensa amico, & executio contractus facta est cum alia. R. d. hoc est, habens intentionem contrahendi cum prima, putavit, hanc eandem fuisse ostensam amico; & hoc in facto, seu qualitate erravit. c. ipsa intentio unice ad eam fuit alligata, quæ amico ostensa fuerat n. Non poterat is intentionem habere contrahendi cum secunda; quia hanc pater jam negarat; & ipse amico mandarat, ut primam viseret, & primam ab amico visam credidit: semper ergo intentio contrahendi in primam tendebat, quacum postea re ipsa contraxit. Quid? si effigiem primogenitæ petiisset, & pater imaginem misisset secundogenitæ; etiamne tunc in persona erratum fuisse dicemus? Aliter decidendum esset, si de illa, quacum re ipsa contraxit, nullam animo informasset ideam, nisi ex eo, quod fuerit ostensa amico.

§. 42. Navarrus Consiliorum L. IV. Consil. 49. narrat istiusmodi factum. Quidam A. homo plebejus toties, tamque asseveranter confirmavit Domino B. octogenario seni ex illustrissima familia, se esse nobilem, primogenitum, & divitem (cum tamen nihil horum in eo reperiretur), ut ei nuptui daret suam neptem, penitissime jam, & dolosissime persuasam, ipsum alto sanguine esse cretum. Celebrato matrimonio, priusquam consummaretur, detecta est fraus, & ex causa erroris de valore ejusdem interrogatum. Respondit Navarrus, valuisse matrimonium, spectato solo errore circa nobilitatem. At spectata primogenitura, cum hæc redundet in personam, probabiliter non valuisse. Addit: Etsi matrimonium valuerit, adesse causas, quia consummatum nondum erat, ut Pontifex dispensatione illud dirimat. Sed istuc ad hunc

 locum

locum non pertinet. Videtur abſolute dicendum, matrimonium valuiſſe: quia prima idea hujus ſponſi ex ejus præſentia, ac notis in ſenſus cadentibus orta eſt: nulla aliorum fratrum, inter quos primogenitum ſe jactabat, aderat cognitio; ſed tam intentio contrahendi, quam executio contractus in idem tendebat individuum. Erratum ergo in qualitatibus fuit: in perſona, aut individuo perſonæ erratum non fuit. Sane error perſonæ id involvit, ut, qui errat, duplicis individui cognitionem habeat, in quorum alterum tendat intentio contrahendi, in alterum executio contractus.

§. 43. Alius eſt Caramuelis caſus narrante Gobat in Alphabeto matrimoniali de impedimento erroris. Homo Germanus dives, ſed non nobilis Romæ incidit in quandam meretriculam, quæ nobilis & caſtæ virginis ſpeciem ſumſerat, dicens, ſe eſſe filiam comitis a Libenſtein: fugiſſe parentum tyrannidem, velle nubere. Norat homo Germanus Comitem, ſciebat, eum habere filiam, quæ auſteritatem parentum pertæſa ad Monialium aſceterium confugerat. Credit, hanc eſſe, & in uxorem ducit. Revertitur in patriam, opinione ſua jam pene Comes factus. At ibi reperit, Comitis filiam adhuc apud Moniales hærere, & hanc eſſe vaferrimam meretricem. Igitur matrimonium eſſe nullum, vociferatur, ac pro nullo declarari petit. Caramuel matrimonium habuit pro invalido, diſſentientibus aliis. Caramuelis deciſionem ſequor; nam prædicatum, in quo error contigit, fuit hæc nota individualis: *eſſe filiam Comitis a Libenſtein*: norat ſponſus Comitem: norat ejus filiam aſperitatem parentum fugiſſe. Ex hiſce notis ideam certi individui concepit, eique intentionem contrahendi affixit; ſed contractum executus eſt cum alio individuo. Erravit

ergo in persona. *Dices*. Intentio contrahendi tendebat in personam præsentem, quam ex visu, familiaritate, aliisque notis singularibus designavit: & cum hac ipsa contraxit postea: ergo circa qualitates personæ præsentis, non in persona ipsa erravit. R. n. a. Hoc enim semper posset objici; & sic nullus omnino error matrimonium dirimeret; quod est contra I. decisionem §. 38. Aperte autem in hunc casum notio erroris circa personam ibidem allata incidit. Dixi, me *decisionem* Caramuelis sequi: rationem enim, quam attulit, non sequor. Putat enim, nullum esse matrimonium etiam ob errorem qualitatis, si qualitas e. g. opulentia, nobilitas, assumitur tanquam unica ratio matrimonii ineundi, & tanquam purum medium obtinendi præfixum finem commodæ sustentationis, affinitatis cum familia nobili &c. Unde aliqui Doctores statuunt regulam: Qualitas redundat in substantiam matrimonii, ejusque defectus contractum reddit irritum tunc, quando ea spectatur tanquam unicus finis matrimonii cum certa persona contrahendi. Verum ejusmodi propositiones indeterminatæ sæpe fallunt. Nam 1. alius est finis ipsius *operis*, status assumti, vel contractus initi e. g. venditionis, ut quis dato pretio rem faciat suam: alius est *finis operantis*, aut causæ *impulsivæ*, per quam ad finem operis intendendum aliquis impellitur, e. g. ut quis emat equos, quia eos, quos domi habet, interiisse, ex nuntio vero aut falso comperit. Ejusmodi causæ impulsivæ in eodem genere contractus, aut status admodum variabiles sunt, nec attenduntur in contractibus, nisi consensus iisdem expresse alligetur, aut dolus partis alterius intercesserit. Tales causæ impulsivæ in matrimonio sæpe sunt, ut, qui officio publico aut privato distentus est, negotia domestica, & rem familiarem uxori relinquat; ut affinis fiat familiæ nobili, aut per uxorem officium,

mercaturam &c. obtineat: ut provideat liberis ex priori matrimonio genitis: ut puellam, quam ducit, a vita abducat luxuriosa, uti indicatur c. 20. h. t. In his, si proposito, & exspectationi eventus non respondeat, aut qualitas in uxore spectata non insit, nemo matrimonium nullitatis arguet, modo finis proximus & intrinsecus ipsius matrimonii, quem contrahens ob varias causas impulsivas minime excludit, imo primario intendere censetur, non deficiat (*dd*).

(*dd*) *Confer Principia generalia in Jure Nat. privato exposita* § 27 *pag.* 68. & § 56. *pag.* 113. *Exemplum causæ impulsivæ, cujus defectus actum non fecit irritum, extat c.* 14. *de convers. conjug. Similis casus recensetur a Gratiano pr. caus. XXIX.* & *q.* 1. *ib.*

§. 44. Superest casus Basilii Pontii l. IV. de Matr. c. 21. referente Gobat loc. cit. Dorothea sæpius palam professa, se quidvis potius perpessuram, imo sibi ipsi allaturam mortem, quam ut nuberet certo viro, si Judæorum sanguine infectus esset; nupsit tamen illi, mentito, se progenitum e stemmate, nunquam tali macula fœdato. At postquam deprehendit Dorothea, esse sibi impositum, rem eo deduxit, patrono Basilio Pontio, ut matrimonium fuerit a legitimo judice pronuntiatum nullum, approbantibus Theologis, & Jurisperitis Salmanticensibus, Complutensibus, & aliis. Error in hac specie solius qualitatis fuit; at sufficienter coram Judice probari potuit, sponsam hinc qualitati negativæ alligasse intentionem suam, nec in ipso contractu ab ea conditione recessisse. §. 40. n. 2. Similis decisio, & ex simili ratione a S. Congregatione Concilii facta est in una Eustadiensi matrimonii 9 Febr. 1732. Tom. V. Thesauri Resolutionum S. Congr. Concilii pag. 257. 272. 336. (*ee*).

(ee) *De impedimento erroris exemplum afferri solet ex Gen. XXIX. de Patriarcha Jacobo, Lia & Rachele. Sed videtur tum error non in contractu matrimonii, sed ejus usu contigisse: „nam dixit (Jacob) ad Laban: da mi„hi uxorem meam; quia jam tempus impletum est, ut „ingrediar ad illam; qui vocatis multis amicorum tur„bis fecit nuptias.„ Ex quibus patet, consensum de præsenti inter Jacob & Rachelem jam intercessisse. Sed Laban vespere Liam filiam introduxit ad eum. Erratum ergo fuit in usu, non in contractu matrimonii, excusante Jacobum ignorantia. Aliæ Doctorum distinctiones de dolo vel errore, qui dat causam contractui, de errore vel dolo antecedente, concomitante, subsequente in præsenti casu rem non expediunt.*

§. 45. Alternm impedimentum dirimens sponsalia & matrimonium est vis ac metus. Est enim alia quæstio de jure & facultate sponsalia contrahendi *cum*, vel *sine* consensu parentum, tutorum, magistratus. §. 11. & 12. alia de plena libertate seu immunitate a vi & coactione; quæ libertas sine dubio cuivis competere debet, tum ut simpliciter contrahat, vel non contrahat, tum ut contrahat cum certa persona. De quo memorabilis extat sanctio S. Concilii Trid. Seff. XXIV. c. 9. de ref. matr. Disputant autem, utrum sponsalia & matrimonium metu inita jure naturali, an positivo tantum sint irrita? Ac matrimonium vi extortum, jure saltem *positivo* humano nullum esse, concedunt omnes. De sponsalibus id negant non pauci; sic, ut probato metu ea rescindi possint, ac debeant a Judice, non tamen ante rescissionem nulla sint. Hinc emergere potest *dubium juris* de impedimento dirimente, quando de contrahendo matrimonio agitur. Quid enim? si priora sponsalia vi inita fuerunt valida, adeoque impedimentum publicæ honestatis produxerint; poteritne pars altera post eorum rescissionem matrimonium contrahere cum prioris sponsi consanguineo in primo gradu?

§. 27. n. IV. Hoc dubium cessat, si sponsalia vi inita ipso jure invalida esse, constet.

§. 46. Decidendum est: I. Cum de vi illata agitur, distingui maxime oportet inter vim & vim, nempe levem, aut gravem: juste vel injuste illatam c. 6. & 15. h. t. II. Sponsalia æque ac matrimonium vi gravi & injusta, contracta jure naturali sunt irrita. Prob. *primo* ex generalibus principiis *de His, quæ vi, metusve causa fiunt.* Lib. I. Decret. §. 573. *Secundo* quia sponsalia ac matrimonium maxime fundantur in conjunctione animorum, cui nihil tam repugnat, quam violentia. c. 14. 15. 28. h. t. Hinc multi Auctores, qui alios actus metu gestos natura valere putant, tamen sponsalia, matrimonium, vota, professionem religiosam, si vi metuque fiant, ipso naturali jure esse irrita contendunt. Illi autem, qui matrimonium vi extortum, esse nullum fatentur, sponsalia tamen pari vi contracta valere asserunt, pugnantia loquuntur. Sponsalia enim si valeant, obligationem continent matrimonii contrahendi, atque in ipsum contractum influunt, ut proinde ipsum matrimonium vi & metu contraheretur, id est, invalide. Quomodo autem obligatio concipi potest ad matrimonium invalide contrahendum? III. Metus in sponsalibus & matrimonio interveniens purgatur spontaneo consensu superveniente c. 6. h. t. aut in matrimonio spontanea cohabitatione c. 21. & 28. h. t. c. 4. qui matrim. accusare possunt (*ff*).

(*ff*) *Dicunt* 1. *Vis & metus non tollunt voluntarium, ac consensum liberum. Ergo jure naturæ valent actus metu gesti. R. d. a. Non tollunt voluntarium simpliciter. c. a. (hoc enim ipsi indicant sacri Canones c. 5. de His, quæ vi.). Non tollunt voluntarium ad sponsalia & matrimonium requisitum, & consensum jure nixum, n. a. c. 14. h. t. ibi*: Cum locum non habeat consensus, ubi

metus

metus & coactio interfuit, necesse est, ut, ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur: & ubi de ipso quæritur, plena securitate debet ille gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat, sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire. *Consensus jure nimus dicitur, qui inter consentientes mutuum jus & obligationem continet. Id non fit in his, quæ vi metuque fiunt. Nam metum inferens naturalem* obligationem *habet, alterum servandi immunem ab omni gravamine; ergo* jus *adversus eum non habet: metum passus naturali* jure libertatis *& immunitatis ab injuria gaudet: ergo nulla* obligatione *alteri devincitur. Dicunt* 2. *Saltem valebunt sponsalia tali casu, si firmentur juramento. R. n. Id deciditur c.* 2. *de eo, qui duxit &c. Ratio est, quia juramentum sequitur naturam actus, cui adjectum fuit. c.* 25. *de Jurej. Conf. Lib. II. Decret.* §. 308. *seq.*

§. 47. *Impedimentum Raptus* ad hunc ipsum locum referri debet; quia contra vim ad tuendam matrimonii libertatem introductum est. Agitur enim de raptu, qui matrimonii contrahendi, non alia ex causa fit e. g. libidinis exercendæ, de quo agitur in Jure criminali. Dein quæstio est *de raptu violentiæ;* nam Auctores quidam Galli, qui consensum parentum in nuptias filiorum, aut filiarumfamilias, tanquam necessarium ad matrimonii valorem exigunt, eo omisso consensu fingunt raptum *subornationis aut seductionis*, etsi contrahentes toto animo consentiant. conf. §. 12. de raptu autem violentiæ utimur jure Concilii Tridentr. Sess. XXIV. c. 6. de ref. matr. quod decernit, *inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium;* statutis etiam aliis pœnis, & excommunicatione in raptorem, ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes. Si rapta in loco tuto, extra potestatem raptoris constituta in ejus matrimo-

trimonium consentiat, potest illud contrahi contra l. un. §. 1. C. de raptu Virgin. vel viduar. Sapientissimæ Concilii decisioni videtur facem prætulisse c. *cum locum*. 14. h. t. Quod de viro rapiente feminam decretum est, videtur pertinere etiam ad feminam rapientem virum; quia correlativa sunt, atque eadem in viro, si non major, matrimonii libertas requiritur, ac in femina: dissentit tamen Sanchez de Matr. l. 7. Disp. 12. n. 24. seq. & Disp. 13. n. 16.

§. 48. Ad rationem Sacramenti, quod in matrimoniis fidelium perficitur, referri debet *impedimentum disparis cultus;* nam matrimonium non modo in officium naturæ, & civitatis, id est, ad conservandam societatem naturalem aut civilem, sed etiam in officium Ecclesiæ, ejusque conservationem institutum est, ut conjuges sanctificarentur, prolesque susciperent, ac pie educarent. Huic fini maxime obstat disparitas cultus seu religionis in conjugibus; quæ duplex est 1. inter fidelem, & infidelem, id est, inter partes, quarum altera est baptizata, altera non baptizata. 2. Inter partes, quarum una est Catholica, altera Christiana quidem, seu baptizata, non tamen catholica. Utroque casu disparitas cultus est vel *antecedens* ipsum matrimonii contractum: vel *superveniens*, uti si una pars infidelium conjugum convertitur ad fidem christianam, aut inter conjuges Acatholicos una revertitur ad Ecclesiam catholicam, aut inter conjuges catholicos una deficit ab Ecclesia catholica, & labitur in hæresin.

§. 49. Decidendum est: I. Disparitas cultus *antecedens* inter fidelem & infidelem est impedimentum dirimens matrimonium, non jure naturali aut divino, sed Ecclesiastico, eoque consuetudinario, etsi

etsi pars infidelis jam sit catechumena, aut etsi una pars putet, se baptizatam, & tamen vere non sit (gg). Si pars Acatholica matrimonio jungatur cum infideli e. g. cum Judæo; quod Protestantes alicubi permittunt, matrimonium pariter nullum erit. Casum recenset Benedictus XIV. Bullar. Tom. III. N. II. de Hebræo, qui e secta Protestantium uxorem duxerat. Hebræo baptizato, & muliere ad catholicam fidem reversa renovari inter eos debuit matrimonium. §. 37.

(gg) *Eruditissime de hoc impedimento differit Benedictus XIV. in cit. constit. add. Zech de impedimentis dirim.* §. 323.

§. 50. II. De disparitate cultus *superveniente* in matrimoniis infidelium, si nempe una pars convertitur ad fidem christianam, & baptizatur, decidendum est: II. Prius matrimonium per baptismum non dirimitur; *cum per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.* c. *gaudemus.* 8. de divortiis. III. Si pars infidelis fideli cohabitare velit pacifica & sine contumelia Creatoris, id est, sine blasphemia divini Nominis, sine despicientia christianæ Religionis, & sine periculo subversionis conjugis fidelis, hic *potest* eam ad consortium admittere: utrum autem *teneatur*, Episcopus pro varietate circumstantiarum decidet; uti resolvit Clericatus de Sacramento Matrimonii Decis. XI. n. 30. seq. IV. Si autem pars infidelis nolit fideli cohabitare pacifice & sine contumelia Creatoris, parti fideli jure divino competit privilegium transeundi ad novas nuptias in Domino, id est, cum alia parte christiana. I. Cor. VII. 15. eoque novo conjugio solvetur prius cum infideli contractum. c. *quanto.* 7. de Divortiis. Bened. XIV. de Syn. Diœces. l. 6. c. 4. n. 3. Clericat. loc. cit. V. Integrum autem non est, conjugi

jugi converso transire ad alia vota, priusquam infidelis interpellatus, aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit, cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia; formulam interpellationis refert Clericatus l. c. n. 24. Si pars infidelis longe abest, aut studiose latitat, multi Auctores facultate Episcopi novas nuptias fideli concedi posse docent, ib. n. 25. Alii dispensatione Apostolica opus esse contendunt; quæ certe necessaria haud videtur, si pars infidelis post conversionem alterius ipsa aufugerit, aut a fideli fieri divortium, ac libellum repudii dari postulet; quod uxores hebrææ facere solent; quia alias apud suos non admittuntur ad novas nuptias; quia voluntas (non cohabitandi) non tantum verbis, sed etiam factis declarari potest. l. 5. D. ratam rem haberi. VI. Notandum autem, quando pars infidelis hebræa a fideli divortium fieri, aut libellum repudii dari postulat, id a fideli nullo modo fieri debere; cum omne tale divortium aut repudium Christi lege sublatum sit. Matth. XIX. *(hh)*.

(hh) Conf. Constit. Benedicti XIV. de abusu libelli repudii Bullar. Tom. II. Constit. 38. *De dispensatione autem Pontificia conf. Ejusdem constitutio:* In Suprema. *Bullar. Tom. I. Num.* 117. *Casus, quo uterque conjux infidelis convertitur ad fidem tempore eodem, disparitatem cultus non inducit. De valore autem matrimonii ante Baptismum contracti judicatur secundum leges naturales ac divinas. Conf.* §. 29. *Si autem una contrahentium pars fidelis jam est, ea tenetur impedimentis ecclesiasticis; idque satis est, ut matrimonium reddatur nullum, etsi altera pars infidelis iisdem non obligetur.*

§. 51. Superest alter casus de disparitate cultus minus proprie tali. §. 48. Ac I. Matrimonium catholici cum muliere hæretica, aut vicissim, validum quidem est, si nullum aliud subest impedimen-

mentum; at per se graviter illicitum ob periculum subversionis, dissensionum, pravæ aut neglectæ educationis prolium. Horum malorum justus metus, certa experientia teste, longe superat spem commodi ex ejusmodi conjugiis proventuri, præsertim temporalis tantum, cui longissime præferenda est causa Religionis, & salutis tum conjugis catholicæ, tum prolium (*ii*). II. Si diversitas religionis superveniat matrimonio jam contracto; illud minime solvitur, sed aliquando causa divortii ad tempus certum vel incertum emergit. Concil. Trid. Sess. XXIV. Can. 5. & 8. de Sacr. Matr.

(*ii*) *Conf. Can.* cave. 15. *& seq. XXVIII. q.* 1. *c.* 14. *de Hæret. in* 6. *Constitutio*: Matrimonia. *Tom. I. Bullar. Bened. XIV. N.* 34. *ubi dolet Pontifex*, eos esse inter catholicos, qui insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus connubiis, quæ S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent. *De eodem argumento idem Pontifex agit l.* 6. *c.* 5. *de Synod. Diœces.*

TITULUS II.

DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

ARGUMENTUM.

I. Ætas requisita ad sponsalia & matrimonium. §. 52. *II. Præsumtiones juris de infantibus & impuberibus*, §. 53. *III. & eorum matrimonium.* §. 56.

§. 52. Jure naturali ac divino certa ætas ad sponsalia, & matrimonium non præscribitur, modo uterque contrahens pleno rationis usu, ac discretione polleat ad præstandum consensum in sponsalia vel matrimonium: quodsi per ætatem in alterutra vel utraque parte nondum adsit puber-

pubertas naturalis, id eſt, potentia ad actum conjugalem generationi prolis aptum; is cenſetur defectus temporalis, qui matrimonium non reddit irritum.

§. 53. Jure canonico fit I. diſtinctio inter *infantes*, ſeu minores ſeptennio, & *impuberes* natura vel lege: nam II. Pubertas alia eſt *legalis*, quæ in maſculis incipit poſt completum annum XIV. ætatis: in feminis poſt completum annum XII.; ante hunc terminum cenſentur impuberes lege (*a*): alia *naturalis*, quæ non pendet ex termino legali, ſed ex potentia ad copulam conjugalem. Si hæc potentia prævertit annum XIV. in maſculis, vel annum XII. in feminis, malitia vel prudentia dicitur ſupplere ætatem. III. Eodem Jure circa ætatem præſumitur *primo:* Ante ſeptennium non adeſt plenus uſus rationis & ſufficiens diſcretio ad ſponſalia vel matrimonium. *Secundo* ante pubertatem legalem non præſumitur naturalis, ſed cum ſit facti, probari debet: poſt pubertatem legalem aut præſumitur naturalis, aut ejus defectus habetur pro temporali, qui, ut dictum eſt, differt ab impotentia perpetua. IV. Diſtingui oportet inter quæſtionem *juris* de ætate aut pubertate ad valorem ſponſalium, aut matrimonii requiſita: & quæſtionem *utilitatis* de nuptiis non maturandis ætate immatura more veterum Germanorum, de quo Tacitus de Moribus German. & Cæſar. l. 6. de Bello gallico agit.

(*a*) *C.* 2. & 3. *h. t. Princip. Inſt. quibus mod. tutela finitur. Merill. Obſerv. l.* 1. *c.* 14. & 22. *Fit etiam in Jure mentio de pubertate* plena, *quæ in maſculis finitur anno XVIII. in puellis anno XIV.* §. 4. *Inſt. de Adopt. l.* 4. §. 1. *D. de alimentis leg.*

§. 54. His præmiſſis decidendum eſt: I. Sponſalia aut matrimonium non valent, niſi pars utra-

utraque septennium jam compleverit, nec ex iis impedimentum publicæ honestatis producitur, neque etiam spectatur, an prudentia non suppleverit ætatem. c. 4. & 5. 13. X. & c. 1. h. t. in 6. Satis est ad nullitatem, si vel una pars septennio minor sit. c. 13. & c. 1. in 6. Quia talia sponsalia *defectu consensus* nulla censentur. Jure etiam veteri impedimentum publicæ honestatis non produxere. cit. c. 1. in 6.

§. 55. II. Si sponsalia de futuro intra pubertatis annos contrahantur, id est, a masculis ante 14 an. a femellis ante 12. an., potest pars impubes, pubertatem adepta resilire. c. 7. & 8. De hoc jure resiliendi adnota *primo:* Hoc jus resiliendi competit, etsi sponsalia fuerint jurata; quia favore teneræ ætatis & ob onera status matrimonialis lege publica concessum est. *Secundo* ante impletam pubertatem non competit. Hinc exspectanda est pubertas legalis; nec ante eam nova fieri sponsalia possunt. cit. c. 7. & 8. *Tertio* nec competit ei, qui jam pubes cum impubere contraxit. c. 7., nisi ex alio capite e. g. vis & metus. c. 9. & 11. *Quarto* nec datur, si commixtio carnalis ante pubertatem legalem intervenerit, malitia supplente ætatem. c. 8. in fin. *Quinto* etsi pars pubes facta resiliat, manet tamen impedimentum publicæ honestatis. c. 5. X. & c. 1. §. 1. in 6. *Sexto* cessat jus resiliendi, si impubes post *XIV. annum ætatis suæ, vel circa finem XIV. anni consentit* in nuptias promissas. c. 10. *Septimo* sola adveniente pubertate non cessat jus resiliendi, sed novo post eam præstito conseusu; quem si jurato diffitetur pubes factus, etiam postea resilire, & ad alias transire nuptias permittitur. Qui casus satis clare deciditur c. 10. h. t.

§. 56. III. De Matrimonio inter impuberes, aut puberem & impuberem contracto decidendum est: Non valet matrimonium, si in utroque aut alterutro contrahentium deest pubertas tam naturalis, quam legalis. c. ult. h. t. Censentur tamen sic contrahentes de præsenti, ex interpretatione juris iniisse sponsalia de futuro (*b*). Nullitas vero talis matrimonii est juris mere ecclesiastici; locumque dat dispensationi Pontificiæ (*c*). Ex contrario sensu inferes: Valet matrimonium, si in utroque contrahentium adsit pubertas aut legalis aut naturalis; alterutra enim sufficit.

(*b*) *C. ult. X. & c. un. §. 1. h. t. in 6. Saltem si probari non possit, contrahentes sic fuisse affectos, ut aut matrimonium contrahere, aut nihil agere voluerint. Hoc enim casu locum haberet dictum c. 23. de offic. delegati: Quod voluerunt, non potuerunt; quod potuerunt, non voluerunt.*

(*c*) *Conf. Bullar. Bened. XIV. Tom. II. Epistola Decretal.* Magnæ Nobis. *ad Poloniæ Primatem, Archiepiscopos, & Episcopos data. 29. Jun.* 1748.

TITULUS III.

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.

ARGUMENTUM.

I. Notio clandestinæ desponsationis §. 57. II. Jus antiquum & commune de eadem §. 58. III. Jus novum Concilii Tridentini §. 60. IV. Denuntiationes matrimonii §. 72. V. Matrimonia occulta, ad Morganaticam, inæqualia §. 73.

§. 57. *Desponsatio* refertur tum ad sponsalia de futuro, tum ad matrimonium. *Clandestinum* opponitur tum ei, quod *publicum*

cum est, non occultum: tum quod *solemne* est, sive ritus externos *lege* vel *canone* præscriptos continet. Est enim in sponsalibus & matrimonio alia solemnitas civilis & politica: alia canonica; & matrimonium, aut dicitur *civile*, *politicum*, & relate ad ritus profanos *solemne*, in quo concurrunt solemnitates a Jure civili requisitæ, uti pacta dotalia, solemnis traductio sponsæ in domum sponsi, consensus parentum &c. (*a*) aut *canonicum*, seu relate ad civile, *non solenme*, in quo adhibentur ea tantum, quæ a SS. Canonibus præscribuntur; suntque duplicis generis secundum hodiernam disciplinam; nam aliud per Canones requiritur ad *valorem* matrimonii, ceu præsentia proprii Parochi & duo tresve testes, iis in locis, ubi Decretum Concilii Tridentini (Sess. XXIV. c. 1. de ref. matrim.) viget, præter habilitatem personarum, & generalia requisita consensus: aliud præscribitur ad *licentiam*, ceu præviæ denuntiationes, benedictio sacerdotalis. Id, quod ad valorem contractus matrimonialis præscribitur, appellatur *solemnitas substantialis*; cum potius *forma actus* vocanda esset: quod vero requiritur ad licentiam, solemnitas *accidentalis*. Primo agendum est de sponsalibus, anne & quatenus clandestina valeant, aut quandam solemnitatem poscant jure ecclesiastico. Dein substantialis solemnitas ad matrimonium per Canones præscripta videtur exponenda. Hac cognita de iis, quæ accidentalia vocantur, etsi per se graviter præcepta sint, facilius feretur judicium.

(*a*) *Leges & consuetudines civiles pro locorum & temporum varietate admodum variæ sunt, uti patet ex iis, quæ Gratianus affert caus. XXX. q. 5. ubi canon primus, qui Evaristo Papæ tribuitur, spurius est, & disciplinam seculi IX., quo Isidorus merces suas protulit, videtur exhibere. In Jure sacro valor contractus sponsalitii & matrimonialis maxime examinatur.*

§. 58. Ad sponsalia de futuro nulla per Canones præscribitur necessaria solemnitas. Valent jure communi etiam occulta & clandestina, atque impedimentum publicæ honestatis producunt, modo nihil desit eorum, quæ de habilitate personarum, ac consensu generatim præscripta sunt.

§. 59. De solemnitate substantiali, seu *forma* ad valorem matrimonii præscripta decidendum est 1. Jure ecclesiastico communi matrimonia clandestina, id est, nulla adhibita Ecclesiæ benedictione, nullis testibus præsentibus inter personas habiles contracta, erant valida (*b*). 2. Erant tamen gravissime prohibita (*c*). 3. Si post clandestinam desponsationem altera contrahentium pars eam negavit, altera affirmavit, pars affirmans habuit onus probandi. c. 1. h. t. quia facta & delicta non præsumuntur. Atqui desponsatio erat factum: clandestina factum erat illicitum. 4. Si contrahentes matrimonia sua clandestine inita postmodum voluerunt publicare, ea ab Ecclesia recipi debuerunt, & comprobari, *tanquam a principio in Ecclesiæ conspectu contracta.* c. 2. ibi: *Nisi rationabilis causa præpediat* e. g. suspicio impedimenti. 5. Ad detegenda contrahentium impedimenta postmodum in Concilio Lateran. IV. decretum est: *Ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, ut intra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat; & ipsi Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat.* c. 3. De hac matrimonii contrahendi denuntiatione agetur infra. 6. Veteres Canonistæ, cum matrimonia clandestina haberent pro validis, qualia fuerunt reipsa, sed contra formam Canonum inita, hanc adhibuerunt distinctionem, ut matrimonia

nia inita secundum formam Canonum appellarent *legitima & rata*, clandestina vero *rata* duntaxat, sed *non legitima*. Testis est Gratianus in fin. quaest. 1. caus. XXVIII. Hodierno stilo nomine matrimonii legitimi, & non rati intelligimus matrimonium infidelium (§. 15.).

(*b*) *Concil Trid. Sess. XXIV. c.* 1. *de ref. Matr. Can.* 1. *XXX.* q. 5. *Pseudo-Evaristus ait:* Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur - - uxor petatur - - & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus a sacerdote benedicatur. *Omissis his solemnitatibus matrimonium negatur* legitimum *esse, eo nempe sensu, quem n.* 5. *hic exposui. Additur in cit. can.* Ita peracta legitima scitote esse conjugia: aliter vero praesumta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes. *Duris hisce verbis emplastrum praebent sequentia*: Nisi propria voluntas suffragaverit, & vota succurrerint legitima. *Dixi*: Jure communi olim *valuisse clandestina matrimonia*; *dubitatum enim fuit in Concilio Trid., cum de iis ageretur, utrum non per se irrita jam fuerint, jure nempe speciali consuetudinis, teste Benedicto XIV. de Syn. l.* 7. *c.* 27. *Certe Flaminius Cephalius, quem iterato laudavi L. III. Tit.* 3 *in Vindiciis Coelibatus c. XII. ait*: „*Hoc impedimentum dirimens clandestineitatis in Hungaria aut coaevum est ipsi regno, aut certe quatuor & amplius seculis Concilio Tridentino anterius.*„

(*c*) *Concil. Trid. l. c.* Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est. *Antiquissimas auctoritates recenset Benedictus XIV. loco superius cit.*

§. 60. In Concilio Trid. c. 1. de ref. matr. clandestina matrimonia lege generali non tantum prohibita, sed etiam irritata fuere. Ibi: *Cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse: & gravia peccata perpendat, quae ex iisdem clandestinis conju-*

giis ortum habent: præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo, cum ab Eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur: Idcirco &c. Præſcribuntur dein publicæ denuntiationes. Sequitur Decretum irritans, & ad clandeſtina matrimonia inhabilitans, hisce conceptum verbis: *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt; eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti Decreto irritos facit, & annullat. - - Decernit inſuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos.* Pro deciſione caſuum obvenientium plura adnotanda ſunt.

§. 61. I. *Expenditur natura legis de matrimoniis clandeſtinis.* Hæc lex eſt irritans, ſeu inhabilitans ad clandeſtine contrahendum, adeoque efficit impedimentum matrimonii dirimens in locis & caſibus, ubi obligat. Irritatio major eſt quidam gradus prohibitionis (*d*), ſive, ut Concilium loquitur, *efficacius remedium;* cum ſimplices prohibitiones propter hominum inobedientiam non jam ſufficerent. Natura legis irritantis eſt, ut nec ignorantia, aut particularis neceſſitas actum irritatum efficiat validum. In eo enim genere legum locum non habet Epikia (*e*). Irritatio matrimonii clandeſtini facta eſt per formam, contractui matrimoniali præſcriptam: actus

actus autem ſine ſua forma omni jure nullus eſt. Forma præſcripta ſita eſt in his, ut conſenſui de præſenti inter perſonas habiles præſtito *ſimul* adſit proprius Parochus & duo, tresve teſtes. Si non omnes ſimul atque una adſint, nihil agitur. Imo Concilium l. c. *inſuper parochum vel alium ſacerdotem, qui cum minore teſtium numero: & teſtes, qui ſine parocho vel ſacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipſos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit.* Fit autem in Decreto mentio parochi *unius* tantum, non duorum, etſi contrahentes ex diverſis parochiis, ac fortaſſis etiam diœceſibus ſint. Nec ad valorem intereſt, ſponſine, an ſponſæ parochus præſto ſit. Utrovis enim caſu matrimonium coram proprio parocho reipſa initum cenſetur; quia in actibus individuis jus & privilegium unius contrahentium communicatur cum altero (*f*). Hinc ſi in loco, ubi matrimonium initur, una pars non tenetur Decreto Tridentini, quia ibi promulgatum non eſt, valebit matrimonium clandeſtinum etiam relate ad partem alteram.

(*d*) *Conf. Jus Nat. priv.* §. 59. *pag.* 123.

(*e*) *Lib. I. de Conſtit.* §. 185. *n. II. Si concubinarius ante mortem velit contrahere matrimonium ad proles legitimandas, & parochus abſit, nihil agi poterit. Alius eſt caſus, ſi parochus ob perſecutiones abſit longiori tempore, vel tuto adiri non poſſet.*

(*f*) *L.* Si communem. 10. *D. quemadmodum ſervitutes amitt. ibi:* Si communem fundum ego & pupillus haberemus, licet uterque non uteretur, tamen propter pupillum & ego viam retineo. *Quia in Belgio fœderato communitas Acatholicorum hac lege non comprehenditur, valet clandeſtinum matrimonium inter partem acatholicam, & catholicam, etſi hæc ſeorſim eidem legi ſubjaceat. Item ſi ſponſus ſit vagus, ſponſa non vaga, valide matrimonium contrahitur coram parocho*

 loci,

loci, ubi sponsus tum versatur. Similiter valide contrahitur in parochia sponsæ assistente parocho sponsi, aut vicissim; vel in parochia aliena assistente proprio parocho sponsi, sponsæve, aliove sacerdote de parochi licentia. Sic enim habetur id, quod a Concilio præscribitur. Fagnan. c. 2. h. t. n. 36.

§. 62. II. *Specialis promulgatio* Decreti Tridentini: *Ut in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos*, ob eam causam fuit requisita, ne Protestantes, qui multas jam tum parochias invaserant, tenuerantque, eodem decreto comprehenderentur, nulla emolumenti spe, non levi majoris perturbationis periculo (*g*). Ut autem irrita fiant clandestina matrimonia, satis non est, ut ab Episcopo per Decretum Tridentino simile tacito Concilii nomine decernantur irrita. Conf. §. 36. & Benedict. XIV. de Syn. l. 7. c. 68. n. 5. Ad probandam ejus Decreti promulgationem jam olim factam, sufficere ejusdem observantiam & usum, sæpius declaratum fuit a S. Congregatione Concilii. Ex his inferes: *Primo.* Cum de matrimonio clandestino quæstio vertitur, spectari in primis debet *locus*, in quo id initum fuit; quia id decretum in plurimis locis, regnis, provinciis, parochiis fuit promulgatum, adeoque vim habet, in aliis non fuit promulgatum, in quibus proin clandestina matrimonia veteri lege prohibita quidem, non tamen irrita sunt. Generale principium est, quod contractus tum ab incolis, tum advenis, peregrinis & vagis celebrari debeant secundum formam & consuetudinem receptam in loco, ubi ineuntur (*h*). *Secundo.* Siqua in urbe e. g. Augustana vel Ratisbonensi sint parochiæ, in quibus illud Decretum promulgatum fuit, aliæ parochiæ, in quibus non fuit promulgatum; eoquod anno

1563.

1563. quo Decretum est positum, aut anno 1564. quo Synodus est confirmata, jam fuerint in manibus Lutheranorum; Decretum in prioribus parochiis obligabit, in posterioribus non item. *Tertio.* Valent clandestina matrimonia in locis inita, in quibus Decretum Concilii aut nunquam publicatum omnino, aut nunquam in usum deductum fuit: in locis etiam, in quibus nullus omnino habetur parochus catholicus, aut metu persecutionum latitat tum ipse, tum ejus Ordinarius, qui alium Sacerdotem delegare possit, aut denique, si tutus ad eum non habetur accessus (*i*). Aliud est, si in casu tantum particulari parochus deficit; uti animadverti §. præc.

(*g*) *Pallavicin. Hist. Concil. Trid. l. 22. c. 4. n. 26. Benedictus XIV. cum matrimonia clandestina in Belgio fœderato inita inter Acatholicos, vel inter partem Catholicam & Acatholicam pro validis declarasset, non obstante publicatione Decreti Tridentini ibidem facta, in alia dein Constitutione Tom. III. N. II. §. 17. ait:* Ex verissimis argumentis, conjecturisque probatum est Concilium Tridentinum, cum novum illud dirimens impedimentum constituit, Decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quæ disceptationi (*de Hollandis*) a Nobis solutæ occasionem dedere.

(*h*) *Si uterque contrahentium spectent ad parochiam, in qua Decretum Concilii non fuit promulgatum, & peregrinantes clandestine contrahant in loco, in quo fuit promulgatum, in quo tamen ipsi nec domicilium, nec quasi domicilium ante contractum nacti sunt, non valet matrimonium. Idem dicendum est de casu, si sponsa spectet ad parochiam, in qua Decretum non fuit publicatum, & sponsus ad parochiam, in qua fuit publicatum, atque in hac sponsi parochia clandestinum matrimonium ineatur.*

(*i*) *Modo duo saltem tresve testes ex præscripto Concilii ad matrimonii contractum adhibeantur. Conf. Theol. Mor. Franc. Ant. Zaccariæ T. III. de matr. n. 778. seq.*

§. 63. De Acatholicorum matrimoniis præter ea, quæ §. 37. fuerunt decifa, fingulatim quæritur, utrum clandeftine inita valeant. Diftingui oportet cafus diverfos. I. Certum eft, Decretum Concilii in Hollandia, Zelandia, Frifia, & aliis locis confœderatis an. 1565 & 1566. tempore Margaritæ Parmenfis, juffu Philippi II. Hifpaniarum regis, cui adhuc fuberant provinciæ illæ, promulgatum fuiffe; fed alia eft quæftio, utrum idem Decretum iisdem locis fatis receptum, atque in ufum deductum fuerit. Nam Benedictus XIV. poft multas difceptationes de valore eorum matrimoniorum fub prædeceffore Clemente XII. agitatas, variasque editas S. Congregationis decifiones in cafibus particularibus, demum 4. Nov. 1741. declaravit, matrimonia in fœderatis locis Hollandiæ inter Acatholicos, vel unam partem Catholicam, alteram Acatholicam, non fervata forma Tridentini, antea contracta & pofthac contrahenda pro validis effe habenda, *dummodo aliud non obftiterit canonicum impedimentum.* Idem intelligi voluit Pontifex de cafu, quo uterque contrahens pertineret ad militias Ordinum fœderati Belgii, addictas muniendis arcibus conterminis, vulgo dictis *de Barriera.* Extendit denique declarationem ad matrimonia, quæ contrahuntur in civitate trajectenfi ad Mofam. Ad principia autem juris communis referri voluit cafum, quo ii, qui in fœderatis provinciis domicilium habent, matrimonium contrahere velint in regionibus Catholicis, aut, qui in regionibus Catholicis domicilium habent, matrimonium contrahere velint in fœderatis provinciis. Conf. notas §. præc.

§. 64. Alius eft cafus de matrimoniis Acatholicorum, mixtisve inter Catholicam & Acatholicam partem, fi ea contrahuntur in locis, in quibus Decretum

cretum Concilii non tantum publicatum, sed etiam in usum deductum fuit; hæc enim matrimonia, non servata Concilii forma, inita pro foro canonico censentur nulla; modo iis in locis parochus catholicus adiri possit. Casus extat in Thesauro Resolut. S. Congregationis Concilii Tom. V. pag. 147. in una Wormatiensi Matrimonii an. 1731. Nec vero Declaratio pro Hollandis edita statim ad matrimonia aliorum locorum tuto applicari potest; quia decisiones causarum particularium, etsi a Summo Principe promanarint, jus commune non faciunt. Celebris etiam hoc seculo fuit causa Comitis de Lippe Acatholici, qui matrimonium cum muliere pariter Acatholica contractum non præsente parocho Catholico, sed juxta ritum & praxin Protestantium, tanquam nullum declarari petiit, & voti compos factus est. Declarationem S. Congregationis super ea nullitate exhibet P. Böckh h. t. §. II. n. 35. & P. Apollonius Holzmann h. t. n. 209. in Jure Canonico practico. De casu autem, quo in locis Catholicis, in quibus nunquam publicato Concilii Decreto matrimonia clandestina jure nostro, sine dubio valida censentur pro utroque foro, alia relate ad Protestantes mota est quæstio, utrum legitima habenda sint, si solemnitas, quæ ab ipsis vocatur, ecclesiastica omittatur. De qua re extat dissertatio Cl. Schloer, his verbis inscripta: *Vindiciæ legitimorum natalium liberorum e matrimoniis S. R. J. Principum, Comitumve, Augustanæ Confessioni addictorum, solo mutuo consensu matrimoniali, neglecta omni solemnitate ecclesiastica, contractis, natorum.*

§. 65. III. *Dispiciendum est, quis nomine parochi proprii veniat, qui matrimoniis assistere, vel assistentiam alteri sacerdoti dare queat.* Sess. XXIV. c. 1. de ref. matr. *Sancta Synodus - - statuit, benedictionem*

ctionem a proprio parocho fieri; neque a quoquam, nisi ab ipso parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii sacerdoti concedi posse; quacunque consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio, non obstante. Quod siquis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis, sive secularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit: ipso jure tamdiu suspensus maneat; quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Nomine Parochi, vel Ordinarii, qui matrimonio assistere, vel assistendi licentiam alteri sacerdoti dare possunt, veniunt Papa, & Nuntius Apostolicus pro sua provincia, Episcopus, ejus Vicarius generalis, Capitulum Sede vacante, & Vicarius Capitularis, Abbas, & Archipresbyter, si isti habent parochias suæ dignitati unitas quoad spiritualia & temporalia, uti decidit Clericatus de Matr. Decis. XXXV. n. 10. E contrario Parochi & Ordinarii nomine non intelliguntur Vicarius foraneus, nec Metropolita extra suam diœcesin, nisi in casu actualis visitationis, aut legitimæ appellationis in causa matrimonii contrahendi. Religiosi, qui familiaribus suis Sacramenta administrare ex privilegio possunt, non idcirco jus assistendi eorum matrimoniis habent. Nec Capellanus in Hospitali censetur parochus, etsi ibi degentibus Sacramenta administrare, & mortuos sepelire possit.

§. 66. Parochus sponsi vel sponsæ sit *proprius* ex domicilio vel quasi domicilio sponsi aut sponsæ, & relate ad vagos ex hospitio, sive loco, aut parochia, ad quam tanquam hospites deveniunt; cum vagi re-

ipsa

ipsa nec domicilium, nec quasi domicilium habeant. De Vagis Concilium Trid. Sess. XXIV. c. 7. de reform. *Parochis præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Notiones de domicilio & quasi domicilio, modisque id obtinendi, petendæ sunt ex Lib. I. Decret. §. 148. seq. Ambigi solet, quanta requiratur temporis & habitationis mora ad acquirendum quasi domicilium (*k*). Dein quasi domicilium acquiritur & *facto* seu adventu in loco quodam, & *animo*, sive intentione ibi per majorem anni partem commorandi; quod primo die, quo ad locum quispiam pervenit, intelligi potest. Auctores tamen pro contrahendo quasi domicilio ad effectum contrahendi matrimonii requirunt *præviam* habitationem tantam, ut eo in loco cogniti sint sponsi; quod sic intelligo, nisi notitiam ipsorum aliunde habeat parochus, vel ad hunc finem, ut etiam denuntiationes matrimonii eo in loco fieri, ac licite contrahi matrimonium possit. Quid enim? si denuntiationes priori habitationis loco factæ jam sint? Qui vero ex loco, ubi Decretum Concilii observandum est, egrediuntur, animo clandestine contrahendi, seseque transferunt in alium locum, in quo illud Decretum non viget, quin isthic domicilium vel quasi domicilium acquirant; non modo illicite, sed etiam invalide contrahunt, ex declaratione Urbani VIII. ad Ferdinandum Archiepiscopum Coloniensem data 14. Augusti an. 1627. De Vagis nunquam dici potest, quod egrediantur e suo domicilio.

(*k*) *Qui ex Parochia sua, & domicilio exeunt, ne ibi matrimonium impediatur, & loco alio, quo se transferunt, tamdiu morantur, ut censeantur acquisivisse quasi domicilium, valide contrahunt non ob fraudem, sed ob favorem quasi domicilii; ac tum maxime quæritur, quanto sit opus tempore, ut illud obtinuisse censeantur.*

Casus

Casus ejusmodi refert Fagnanus in C. Significavit. 5. *de Parochiis. n.* 36. *seq. Post acquisitum quasi domicilium, initumque jam matrimonium subsequens eodem in loco habitatio per aliquod temporis spatium sane adminiculum præbet comprobandi quasi domicilii; sed in declarationibus S. Congregationis a Fagnano relatis nulla fit mentio de habitatione subsequente.*

§. 67. Ex generali doctrina de parocho proprio ratione domicilii vel quasi decidendum videtur: 1. Parochus *Originis* ad contrahendum matrimonium proprius non est, si quis alio transtulit domicilium, aut patriam deseruit. Qui sui juris non sunt, sed patriæ potestati subjecti, quamdiu revocari possunt in patriam, non videntur domicilium originis amittere, etsi animo nunquam redeundi abiissent. 2. Principes & nobiles in ordine ad matrimonium contrahendum domicilium non habent in omnibus locis sibi subjectis, sed ubi veram sedem & habitationem constituerunt. 3. Qui rei familiaris aut rusticationis causa ruri degunt aliquanto tempore, non ob id valide matrimonium præsente parocho rurali contrahent. 4. Qui perpetuo, vel ad certum tempus, quod acquirendo quasi domicilio sufficit, detinetur in carcere, proprium parochum habet eum, in cujus parœcia situs est carcer. Arg. l. *Filii.* 22. §. 3. D. ad Municipalem. Ibi: *Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium habet domicilium.* Aliter sentiendum de eo, qui aliquamdiu custoditur in carcere, donec Judex sententiam proferat; talis enim nihil magis in dies expetit, quam ut soluto carcere suas ædes revisat. 5. De Militibus eorumque proprio parocho varias resolutiones S. Congregationis recenset V. C. Zaccaria in Theol. Mor. de Matr. n. 750. & seq. Videntur milites, dum in expeditione sunt, æquiparari vagis.

§. 68.

§. 68. IV. *Munus parochi* matrimonio assistentis situm non est in actu quodam Ordinis, aut exercitio propriæ jurisdictionis, sed in præsentia ipsius tanquam testis specialiter authorizati, ut de inito contractu testimonium det Ecclesiæ. Satis ergo est, modo verificetur hoc, *coram parocho* initum esse matrimonium; sive eo præsente & intelligente, consensum de præsenti inter contrahentes intercessisse. Nam, ut dicitur l. *Coram Titio.* 209. D. de V. S. *Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat; itaque si furiosus aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram eo fecisse. Scire autem, non etiam velle id debet: nam & invito eo recte fit, quod jussum est.* Adde l. *Non multum.* 14. D. de consensu & Auct. Tutor. Ibi: *Non multum interest, absuerit tutor, cum negotium contraheretur, an præsens ignoraverit, quale esset, quod contrahebatur.* Hinc Clericatus Decis. 35. de Sacr. Matrimonii n. 5. putat, validum non esse matrimonium initum coram parocho non intelligente sponsorum idioma, nisi per interpretem illud sibi declarantem; si nempe ex omnibus signis & adjunctis de voluntate & actu contrahentium tam certus non sit, ac si matrimonium contraheretur a mutis.

§. 69. Ex his deduces *primo*, valide contrahi coram parocho etiam non rogato ad assistendum, inducto per dolum, vi compulso, invito & contradicente, aut affectante ignorantiam, uti si terga vertat, vel aures obturet, cum a partibus consensum præstari animadvertit. Arg. c. 3. §. 1. h. t. ibi: *Cum illi -- non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur.* Deduces *secundo.* Uti parochus esse potest, quin actu sacerdos sit; sic coram eo valide contrahitur matrimonium, vel ab eo, ejusve Ordinario,

rio, etsi presbyteri non sint, recte deputatur alius presbyter. In hoc enim deputato presbyteratum exigit Concilium; in parocho, ejusve Ordinario non exigit. Ex eadem ratione valide contrahitur coram parocho, irregularitate vel censuris irretito, vel cui ab Ordinario expresse vetitum est, ne matrimonio assistat; modo ab officio depositus non sit: imo etiam coram parocho putativo, quando concurrit error communis & titulus coloratus. Arg. l. *Barbarius*. 3. D. de officio Præt. Opus tamen est, ut titulus coloratus ab Ordinario sit collatus. Talem non habet intrusus; qui proin cum effectu juris non assisteret matrimonio.

§. 70. V. *Licentia assistendi* matrimonio, si parochus ejusve Ordinarius assistere non possit aut non velit, nemini dari potest, nisi presbytero, id est, promoto ad presbyteratus Ordinem, qualiscunque de cetero sit. Modus eam licentiam concedendi præscriptus non est; adeoque non refert, utrum scripto, an viva voce, intra parochiam, vel extra eam detur; neque enim hæc deputatio est actus jurisdictionis contentiosæ, qui in territorio expediri debet. Cum autem ea licentia ad valorem actus necessaria sit, passim observant, non sufficere ratihabitionem postea supervenientem, vel licentiam præsumtam, quæ nihil operatur. Conf. Lib. III. Decret. §. 177. Aliter sentiendum de consensu *tacito* Parochi vel Ordinarii; uti si Parochus videat, alium Sacerdotem se accingere ad assistendum matrimonio, quem, cum facile posset, non impediat; tum enim censetur tacite consentire, vel dare licentiam. Presbyter, qui licentiam assistendi obtinuit, eam alteri dare non potest; quia delegatus ad actum specialem subdelegare non potest, nisi sit delegatus a Summo Principe, vel ad universitatem causarum saltem in certo genere; unde Vicarius

rius parochi recte subdelegat ad casum tantum particularem. Data assistendi licentia exspirat tum revocatione Parochi, ejusve Superioris, modo revocatio ante actum gestum innotescat, tum etiam morte concedentis; quia potestas delegata ad unum actum specialem re integra cessat morte delegantis. Hinc Capellanus vel Vicarius ad juvandum Parochum adscitus, hoc mortuo, non videtur posse assistere matrimoniis; quia facultas, quæ pendet a voluntate concedentis, extinguitur istius morte; & quia mortuo Parocho parochia transit ad regimen alterius. Si mors Parochi ignoretur, valide assistit ab eo delegatus; quia communis error & ignorantia sustinet valorem eorum, quæ a delegato geruntur. Lugo Resp. Mor. l. 1. dist. 35. Krimmer h. t. n. 677.

§. 71. VI. *De testium præsentia* recole dicta de præsentia parochi §. 68. Necesse est, ut sint duo vel tres (c. 40. de R. J. in 6. ibi: *Pluralis locutio duorum numero contenta est.*) simul cum Parocho præsentes §. 61. Singularis habilitas aut qualitas testium nulla præscripta est hoc loco, ut in aliis causis, nisi quæ jure naturæ poscitur, ut nempe intelligant, & animadvertant, quid inter contrahentes agatur, adeoque rationis compotes sint, quocunque modo intervenerint actui (*l*). Hinc ex Decreto Tridentini de testibus matrimonii, expuncta sunt verba: *Fide digni*, ne innumerabilium conjugiorum efficacia redderetur ambigua. Pallav. Hist. Concil. Trid. l. 22. c. 4. n. 12.

(*l*) *Clericatus decis.* 35. *n.* 27. *de Sacr. Matrim. valide ait contrahi matrimonium inter Catholicos coram parocho græco schismatico, & more Schismaticorum præsentibus duntaxat Musicis canentibus in honorem matrimonii, more suo, non autem testibus speciatim rogatis. Quia parochus etiam schismaticus, donec officio suo fuerit privatus,*

vatus, valide assistit. Musici vero, modo advertant ad contractum, sunt testes sufficientes, qui de consensu a contrahentibus præstito testimonium ferre possunt.

§. 72. Hactenus de solemnitate substantiali matrimonii, sive ad ejus valorem requisita actum est. *Accidentalis*, quæ ordinarie ad matrimonii licentiam præscripta est, tum in benedictione sacerdotali, tum maxime in præviis denuntiationibus consistit. Fuit enim hæc Ecclesiæ semper provida cura, ut Sacramentum matrimonii, *Magnum* ab Apostolo nuncupatum, publice & palam a fidelibus celebretur. Præviæ denuntiationes, quæ *Banna* olim dicta sunt c. 27. de sponf. & matr. usu particularium diœcesium primo invaluerunt; dein a Concilio Lateran. IV. c. fin. h. t. & a Concilio Trid. Seff. XXIV. c. 1. de ref. matr. lege generali præscriptæ fuerunt his verbis: *Ut inposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.* Generatim ergo matrimonia sine præviis denuntiationibus interdicta sunt. *Sane si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Sed his, qui taliter præsumserint etiam in gradu concesso copulari, condigna pœnitentia injungatur.* c. fin. §. 2. h. t. (m). Si periculum in mora est, uti si a moribundo ad legitimandas proles contrahatur matrimonium, parochus Epiikia utitur, & absque denuntiationibus assistit, prævio tamen juramento sponsorum, quod nullius impedimenti sibi conscii sint. Extra hunc casum solus Ordinarius dispensandi in hac generali lege facultatem nactus est a Concilio Trid. l. c. *Nisi Ordinarius ipse*

expedire

expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur: quod illius prudentiæ & judicio sancta Synodus relinquit (*n*). Finis denuntiationum est, ut detegantur impedimenta; de quibus nihilominus ipsi parochi speciatim inquirere tenentur. c. fin. pr. h. t. Oborta impedimenti verisimili suspicione matrimonium interdicitur, donec causa cognoscatur. In cognitione autem causæ Judex Ecclesiasticus magnam adhibere solertiam, cautionemque debet. cit. c. fin. & c. 27. de Sponsal. & Matr.

(*m*) *Alia est præterea pœna contrahentium denuntiationibus culpabiliter omissis, quod proles ex tali matrimonio suscepta, si matrimonium reipsa nullum fuit, non habeatur legitima, etsi parentes bonam fidem & ignorantiam impedimenti allegent. c.* 3. §. 1. *h. t.*

(*n*) *Justa dispensationis causa est probabilis suspicio, ne matrimonium tot præmissis denuntiationibus impediatur; ac tum præcipit sancta Synodus: ut* vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur; deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur. *Aliam dispensandi circa denuntiationes causam justam refert Benedictus XIV. T. I. Bullar. N.* 35. *in Constit.* Satis Vobis. §. 6. *ibi*: A sacro nostræ Pœnitentiariæ tribunali eo potissimum casu fit potestas, ita celebrandi (*sine denuntiationibus*) matrimonium, quo vir & femina in figura matrimonii publice degentes, & de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent: facile enim quisque conjiciet, quam absonum esset, eos, a statu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos, ad publice contrahendum matrimonium præviis denuntiationibus compelli.

§. 73. Exposita solemnitate per Canones præscripta explicandum est, quæ sint matrimonia *occulta*, sive matrimonia *conscientiæ*; quæ dein matrimonia ad *morgenaticam*; quæ *disparagia*, sive matri-

monia inæqualia. Hæc enim tria, etsi aliquando concurrant, tamen sæpe distincta & segregata sunt. Matrimonia *Occulta* a Benedicto XIV. in Const. *Satis Vobis*. T. I. Bullar. n. 35. sic describuntur: *In more positum est, ea celebrari nullis præviis factis denuntiationibus, coram solo parocho vel alio sacerdote de ejus licentia, adhibita præsentia tantum duorum testium apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta; remque peragi extra Ecclesiam, quandoque etiam intra illam januis tamen occlusis, vel eo temporis momento, quo semota alterius cujusvis præsentia, scientia initi matrimonii, præter parochi, contrahentium, testiumque personas, alios penitus effugiat.* Exposita hac notione occulti matrimonii, ejusque periculis & incommodis (*o*) Papa 1. monet Episcopos, ne faciles sint in eo concedendo, atque ut petita dispensatione super publicatione inquirant, an petentes sint sui juris, liberi, filiifamilias, Clerici beneficiati: neve extraneum sacerdotem delegent, qui mutuo consensui præsideat. 2. Data dispensatione sacerdos, qui matrimonio assistit, Episcopo documentum det initi matrimonii, temporis, loci, testium; atque hic liber matrimoniorum sic contractorum obsignatus sigillo, retineatur in Cancellaria Episcopali. 3. Nata proles quam citissime baptizetur; & quia nomina horum infantium baptizatorum non exponuntur parocho, patres eorum denuntient Episcopis tempus nativitatis, baptismi, nomina. Hæc omnia in libro baptizatorum ex occultis matrimoniis describantur, qui tenebitur sub sigillo in eadem Cancellaria. 4. Siquis hæc facere negligat, publicetur occultum matrimonium. 5. Episcopus iis, qui occulte fieri matrimonium postulant, hæc exponat, & observanda enuntiet, præcipue circa baptismum infantium, & nomina, ortum &c.

6. Fides,

6. Fides, quæ habetur libris in parœcia existentibus relate ad matrimonia & baptismum, in quovis tribunali eadem habeatur hisce libris existentibus in Cancellaria episcopali.

(o) *E. g. Fieri potest, ut aliquis priore uxore, quacum clam contraxerat, relicta, cum alia spe futuri matrimonii decepta, & in turpem secum vivendi licentiam abducta palam contrahere promittat: vel ut quis novum contrahere secretum matrimonium audeat post aliud secreto itidem contractum, & nondum prioris conjugis morte solutum: ut filiifamilias contra patris juste dissentientis voluntatem sic contrahant: ut constituti in minoribus, qui pensiones vel beneficia ecclesiastica habent, ista post contractum clam matrimonium retineant Fit etiam, ut proles ex tali matrimonio susceptæ nec pie nec liberaliter educentur, imo ut ipsi parentes earum vitæ insidientur. Generale incommodum est, ut inito tali matrimonio vir seorsim a muliere degat, contemto divino præcepto:* Adhærebit uxori suæ; *vel ut servata vitæ consuetudine necessario scandalum oriatur.*

§. 74. *Matrimonium ad Morgenaticam* vocatur, in quo ex pacto nec femina titulos marito proprios, nec liberi dignitatem, & jura successionis in bona patris participant, sed contenti esse jubentur portione ad suam sustentationem necessaria. Ejusmodi matrimonia fere ineuntur cum femina inferioris conditionis, & sæpe occulte; unde confundi solent cum disparagiis, seu matrimoniis inæqualibus, & cum matrimoniis occultis, seu conscientiæ. Sed neutra conditio videtur per se involvi in matrimoniis ad Morgenaticam; quia hæc quidem etiam inter personas paris conditionis iniri possunt saltem cum Principis consensu, quo antecedenter derogetur publicis legibus de juribus & successione liberorum. In disparagiis liberi excluduntur a certis juribus non ex pacto, sed ex legibus jure particulari publico, & Germanico potissimum constitutis (p).

 (p) De

(p) *De matrimonio ad Morgenaticam cum femina inferioris conditionis inito confer l. 2. feudor. tit. 29. De disparagiis ex principiis Juris Germanici differitur Tom. 6. Thesaur. Jur Eccl. n. XVI. Feminæ inferioris conditionis sine dote & nuptiali solemnitate ductæ, quæ in familiam mariti non transibant, neque jurium ejus & bonorum participes fiebant, dictæ olim sunt* concubinæ; *quo proin nomine non pellex, vel uxor clandestine ducta semper intelligi debet. Gen. XXV. 6. can. 4. & 5. dist. 34.*

Titulus IV.

De Sponsa duorum.

ARGUMENTUM.

I. Concursus plurium sponsalium de futuro, & de præsenti quatuor continet diversos casus, qui deciduntur. §. 75. seqq.

§. 75. Hæc Rubrica ex nigro, seu capitulis ei subjectis explicanda est de sponsalibus de futuro, de præsenti, & matrimonio; quando stante vi priorum concurrunt alia sponsalia de futuro, de præsenti, vel aliud matrimonium copula consummatum. Talis concursus fit quatuor casibus. I. Si post sponsalia de futuro contrahuntur alia de futuro cum persona tertia. II. Si post sponsalia de futuro alterutra pars sponsalia de præsenti cum tertia persona contrahit. III. Si post sponsalia de præsenti ineuntur alia de præsenti; nec interest, utrum vel utra sint consummata. Hic est casus Polygamiæ, & exhibet impedimentum *Ligaminis*. IV. Si post sponsalia de præsenti aut matrimonium consummatum, eo nondum soluto, ineuntur sponsalia de futuro in eventum, quo illud per mortem alterius conjugis solvendum sit. Hi casus æque referuntur ad sponsum, & ad sponsam,

sponsam, ad maritum & uxorem. Ipsa Rubrica *de Sponsa duorum*, pariter intelligenda est *de Sponso duarum*, argumento a correlativis ducto, quando par utrinque est ratio, ceu in impedimento raptus, vis & metus, & impedimento ligaminis; quemadmodum mox patebit. E contrario quæ in odium viduarum intra annum luctus nubentium statuta sunt, ea sane ad viduos applicari nequeunt ob speciales rationes feminis proprias.

§. 76. Casus I. *Post sponsalia de futuro alia sponsalia de futuro* non valent. c. 22. X. & c. 1. in 6. de sponsal. & matr. Non enim, quod uni promissum est, & uni tantum promitti potest, uti fit in contrahendo matrimonio, alteri contra jus prioris valide promitti potest. Valet hoc loco regula 54. in 6. *Qui prior est tempore, potior est jure.* Cum decisione hujus casus connectuntur sequentia. *Primo.* Posteriora sponsalia nulla sunt, etsi iis accesserit juramentum, copula carnalis, impraegnatio sponsæ. Hi enim modi, si tollerent priorem obligationem sponsalitiam, per se allicerent ad flagitia: dein juramentum non est vinculum iniquitatis. c. 22. de sponf. & matrim. *Secundo.* Nova sponsalia partis unius sunt tacita renuntiatio priorum, & alteri parti jus resiliendi præbent. *Tertio.* Si hæc pars innocens resiliat, aut ingrediatur religionem, obeatve mortem, non videntur posteriora convalescere, quæ initio fuerunt invalida. Aliud est, utrum pars nocens, quæ contra fidem priorum posteriora iniit sponsalia, in judicio allegare sinatur dolum suum, id est, turpitudinem, qua personam tertiam ignorantem, quid prius actum sit, promisso suo decepit.

§. 77. Casus II. *Post sponsalia de futuro valent sponsalia de præsenti seu matrimonium cum persona*

 tertia.

tertia initum. c. I. h. t. *Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere: si aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa, quam duxit. Non enim rescindi tantum debet Sacramentum.* Hæc ratio indicat id, quod vulgo ajunt, sponsalia de præsenti esse vinculum fortius, quam priora de futuro (*a*). Adde ad hanc decisionem: *Primo* valent sponsalia de præsenti, etsi priora de futuro fuerint jurata. c. 31. de sponf. & matr. *Secundo*. Pars innocens sic repudiata multo majus acquirit jus resiliendi, ac priore casu. *Tertio* Quid? si posterius hoc matrimonium morte dissolvatur, anne pars innocens jus suum, per matrimonium quodammodo suspensum requirere, & partem infidelem ad implenda priora sponsalia compellere poterit? Non video, quid obstet. Nam quod c. 22. de sponsal. per tale matrimonium prima fides dicatur *irrita* fieri, nil aliud denotat, quam quod violata fuerit, & durante matrimonio impleri non possit. *Tertio*. Quia post sponsalia de futuro alia de futuro nulla sunt: de præsenti valida; patet, matrimonium tali casu contrahi, nullis præcedentibus sponsalibus validis; adeoque sponsalia de futuro ad matrimonium non esse absolute necessaria.

(*a*) *De fide pactionis, & fide consensus conf.* §. 8. *Decisio a principiis juris naturalis non abhorret; quia non idem est objectum in sponsalibus de futuro, & de præsenti. Neque enim in sponsalibus de futuro transfertur jus ad actus conjugales, quemadmodum in sponsalibus de præsenti. Etsi igitur post factum promissum de matrimonio in posterum contrahendo, ac jure illo transferendo fides data implenda sit jure naturali, nec licitum sit, aliud inire matrimonium; non tamen istuc, si ineatur, irritum erit; cum sic transferatur jus, quod ante non abdicatum, nec in quamque personam translatum, etiam tum in potestate erat transferentis.*

§. 78.

§. 78. Casus III. *Post sponsalia de præsenti non valent alia de præsenti, ab alterutro conjuge cum tertia persona inita.* Est hoc impedimentum *ligaminis*, alterum matrimonium jure divino dirimens (*b*). Inferes: *Primo. Polygamia* in Lege nova nemini a Deo concessa est. De veteri etiam lege Innocentius III. in c. *gaudemus*. 8. de Divortiis ait: *Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum* (*c*). Refertur autem polygamia, quæ jure divino vetita est, tum ad *polygyniam*, tum multo magis ad *polyandriam*; sed distingui eadem debet a *bigamia*, seu successiva iteratione matrimonii. *Secundo* decisio valet etiam pro casu, quo priora sponsalia de præsenti nullo juramento firmata, & posteriora etiam copula carnali consummata fuerunt. c. 31. De sponsal. & matr. c. 2. 3. fin. h. t. *Tertio.* Posteriora sponsalia de præsenti nulla sunt, etsi contracta fuerint bona fide, ex falsa persuasione contrahentis de morte prioris conjugis; nec convalescunt per hoc solum, quod prior conjux postmodum decedat per reg. 18. in 6. *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. Quarto.* Quid juris sit pro decidendo casu, quo de morte prioris conjugis non constat, & pars altera ad novas transire nuptias cogitat, explicatur Tit. *de secundis nuptiis.* Si autem pendente quæstione facti de matrimonio jam contracto & adhuc perdurante una pars ad nova vota transire velit, id interdicitur ab Ecclesia. Si eadem non obstante hoc interdicto ad nova vota transeat, conjuges separantur, donec causa finiatur. c. 4. h. t. Pars autem, quæ manente priore matrimonio novum contrahit mala fide, incurrit in pœnas criminales, de quibus agitur l. V. Decretal. Tit. *de adulteriis, & stupro. Quinto.* Si Gentiles polygami convertantur

ad fidem christianam, dimissis ceteris eam retinere debent conjugem, quam primam ante alias duxerant, etsi eandem postea repudiarint; nisi hæc parti conversæ renueret cohabitare, aut non vellet certe absque contumelia Creatoris, vel ut eam pertrahat ad mortale peccatum. c. 8. de Divortiis. Hæc autem de infidelibus conversis decisio locum habet tum, quando constat, eos verum inter se & stabile conjugium, & non potius vagum concubitum habuisse. Si enim de vero conjugio juste dubitaretur, respondit Urbanus VIII., ut Missionarii circa matrimonia Indorum Neophytorum sequerentur opiniones pro conditione locorum ac hominum barbaris favorabiliores (*d*).

(*b*) *Concil. Trid. Sess. XXIV. can. 2. de Sacr. Matr. ibi*: Siquis dixerit, licere Christianis, plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. *Sic definivit Concilium contra Lutherum, ejusque asseclas, qui Philippo Landgravio Hassiæ alterum conjugium vivente priore uxore permiserunt. Consultationem Lutheranorum refert Bossuet Hist. des Variations des Eglises Protestantes liv. 6.*

(*c*) *Ante diluvium Deus pluralitatem uxorum non videtur concessisse; sufficiebat enim tum longæva hominum vita ad propagandum hominum genus. Notatur in Scripturis Lamech, qui primus, ea mundi ætate duas uxores accepit. Genes. IV. 19. De quo S. Hieronymus Ep. 9. nunc 79. ad Salvinam ait*: Primus Lamech maledictus, & sanguinarius, & de Cain stirpe descendens, unam costam divisit in duas. At plantarium digamiæ protinus diluvii pœna subvertit. *Conf. ejusdem S. Patris adversus Jovinianum l. 1. c. 8. & Tertullian. de Exhort. Castit. c. 5. ubi Lamech polygamus adulterii reus arguitur. Epocha primæ concessionis a Deo factæ in hac re repetenda est ab Abraham, ob electi populi propagationem, & aliquorum mysteriorum significationem; quæ concessio ad Abrahæ posteros extensa fuit. Etsi autem de concessione plurium uxorum Abrahamo, & posteris facta nihil expresse commemo-*

memorent Scripturæ, tamen præcellens eorum virorum sanctitas id nobis persuadet; cum præsertim eam ob causam minime notentur, aut reprehendantur in divinis Literis.

(d) *Nicol. del Techo Hist. Paraquar. l. 10. c. 15.*

§. 79. Casus IV. *Post sponsalia de præsenti, ac stante matrimonio, sponsalia de futuro* ab uno conjugum inita cum tertia persona in eventum mortis alterius conjugis non valent. Deest enim habilitas in conjuge futurum matrimonium promittente; ac tales actus secundum præsentis temporis jus æstimantur; quemadmodum titulo sequente exponetur de sponsalibus inter impeditos impedimento dirimente initis sub conditione: *Si Papa dispensaverit*; quæ impleta etiam conditione vim non habent sine novo consensu.

TITULUS V.

DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSATIONE VEL IN ALIIS CONTRACTIBUS.

ARGUMENTUM.

I. Notio & differentia conditionum. §. 80. *II. Jus apponendi conditiones in contractibus.* §. 82. *III. Conditiones appositæ in sponsalibus de futuro.* §. 85. *IV. Conditiones turpes.* §. 88. *V. Conditio: Si Papa dispensaverit, apposita ab impeditis.* §. 89. *VI. Conditiones appositæ sponsalibus de præsenti.* §. 93. *VII. Demonstratio & causa adjectæ in desponsatione.* §. 99.

§. 80. Consensus in sponsalia de futuro, aut de præsenti præstari potest tum simpliciter & absolute, tum sub multiplici modificatione, adjectis variis conditionibus, pactis seu modis, addito tempore seu die, *a quo* obligatio incipiat,

cipiat, vel *ad quem* pertingat; ad quem caſum pertinet *conditio reſolutiva*, qua id agitur, ut facta deſponſatio, ejusve obligatio certo vel incerto die, eveniente aut non eveniente quodam caſu reſolvatur, & ceſſet. Adhiberi ad conſenſum poſſunt præterea certæ demonſtrationes rei vel perſonæ, certæ item cauſæ, ob quas datur conſenſus. Hæc pertinent ad *formam internam* actus, ac generales de iis notiones L. I. Decret. Tit. 35. de Pactis §. 542. propoſitæ ad deſponſationes applicandæ ſunt. De forma & ſolemnitate *externa* actum eſt ſupra tit. 3. *de clandeſtina deſponſatione*.

§. 81. Confuſionem idearum parit abuſus vocum, vaga earum ſignificatio, & inconſtantia loquendi. Omnes enim modificationes & qualitates, ſub quibus conſenſus præſtatur, *conditionis* nomine exprimuntur. Conditionis autem vox vagum habet ſignificatum (*a*); & ſi ad modificationes conſenſus refertur, multiplex eſt: alia *proprie* dicta, quæ obligationem *ſuſpendit* usque ad futurum & incertum eventum: & *improprie dicta*, ceu conditio de præſenti, de præterito, neceſſaria vel intrinſeca, impoſſibilis: alia *reſolutiva*. Confunditur dein conditio cum pactis ſeu modis actui vel contractui adjectis. Multum tamen inter conditionem proprie dictam, & pactum ſeu modum actui adjectum intereſt. Conditio proprie talis negotium, & obligationem actus ſuſpendit usque ad futurum & incertum eventum: modus ſeu pactum ſupponit negotium jam perfectum, & obligationem abſolutam, ſic, ut alterutra vel utraque contrahentium pars certum onus vel gravamen ſuſcipiat, aut impoſitum habeat; idque duplici modo, vel ut onere non præſtito ipſe actus & contractus reſcindi poſſit, debeatve, ſive omnino pro

reſciſſo

rescisso habendus sit: vel sine tali clausula irritante aut commissoria; quæ in dubio non præsumitur. c. 5. h. t. Utrum autem modificatio adjecta haberi debeat pro conditione proprie tali, qua negotium, ejusque obligatio suspenditur ad futurum eventum, & quo deficiente negotium per se corruit: an vero pro modo adjecto, qui obligationem supponit perfectam, & conjunctam cum actione ad modum implendum, colligi debet ex iis, quæ inter partes acta sunt (*b*). Conditiones latissime sumtæ quatenus etiam pacta adjecta comprehundunt, sæpe sunt turpes, sive repugnantes legibus, aliquando etiam repugnant ipsi substantiæ contractus sponsalitii vel nuptialis. Hoc casu contractus est nullus, & irritus. Substantiæ matrimonii repugnat id, quod repugnat bono prolis, bono fidei conjugalis, bono Sacramenti (*c*).

(*a*) *Conditio aliquando sumitur pro optione, vel electione l.* 8. §. 12. *D. de inofficioso Testam. ibi:* Siquis irritum dicit testamentum, vel ruptum & inofficiosum: conditio ei deferri debet, utrum prius movere velit. *De addictione in diem alius meliorem offerre* conditionem *dicitur. In contractibus alienativis non semper dominium, sed* conditio *usucapiendi transfertur. Nominatur etiam* conditio *servilis & libera.*

(*b*) *Elegans exemplum extat l.* cum ab eo. 41. *D. de contrah. emtione. ibi:* Cum ab eo, qui fundum alii obligatum habebat, quidam sic emtum rogasset, *ut esset is sibi emtus, si eum liberasset, dummodo ante calendas Julias liberaret;* quæsitum fuit, an utiliter agere possit ex emto; respondit (*Julianus JCtus*), videamus, quid inter ementem & vendentem actum sit. Nam si id actum est, *ut omni modo intra calendas Julias venditor fundum liberaret*, ex emto erit actio, ut liberet: nec sub conditione emtio facta intelligetur: veluti si hoc modo emtor interrogaverit: *erit mihi fundus emtus, ita, ut eum intra calendas Julias liberes*, vel *ita, ut eum intra calendas a Titio redimas.* Si vero sub conditione facta emtio est, non pote-

poterit agi, ut conditio impleatur. *Nota: in contractibus nominatis, ceu emtione venditione, ad implendum modum, seu pactum in continenti adjectum agitur actione ipsi contractui propria; secus praescriptis verbis.*

(c) *Eugenius IV. in Decreto Unionis Armenorum sic ait:* Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiae, secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo & in Ecclesia. Causa efficiens matrimonii, regulariter est mutuus consensus, per verba de praesenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium est indivisibilitas Matrimonii, propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi, & Ecclesiae. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est: cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

§. 82. Decisio I. Cuivis actui & dispositioni, quae a libero consensu pendet, adjici possunt conditiones & modi seu pacta. Patet hoc ex libertate naturali, vi cujus quisque rei & juris sui moderator & arbiter est, quamdiu nil obstat in contrarium. Si eidem actui vel dispositioni plures adjiciuntur conditiones vel modi, dispiciendum est, utrum adjecti sint conjunctim & *copulative;* quo casu omnibus parendum est, aut eventus omnium exspectandus: an *disjunctim;* ac tum cuilibet obtemperare satis est. Id locum habet in legibus, ultimis voluntatibus, actibus & contractibus privatorum, adeoque regulariter in sponsalibus de futuro, & de praesenti. l. *Si heredi.* 5. D. de Condit. institut.

§. 83. Ab hac generali decisione excipe I. Actus legitimos, id est, qui certam & absolutam for-

formam habent a legibus. Hi enim, si ab agentibus recipiunt diem, vel conditiouem, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem. l. *Actus legitimi.* 77. D. de R. J. (*d*). II. Excipe, si conditio vel modus repugnat juri privatorum jam quæsito; uti siquis id, quod pure & absolute debetur, præstare non velit, nisi sub conditione & modo. III. Excipe, si conditio & modus principio & in continenti actui adjectus ejus naturæ & substantiæ repugnat. l. *Si tibi.* 17. D. de Pactis. l. *Per servum.* 14. §. 1. D. de usu & habitat. De his maxime conditionibus & modis, qui repugnant substantiæ desponsationis, eamque reddunt nullam, tractari solet hoc titulo.

(*d*) *Utrum contractui matrimonii adjici possit conditio de futuro, dicam infra* §. 93. *Certe alia Sacramenta administrari non possunt cum adjectione diei, ex quo effectum habere incipiant, vel conditionis suspensivæ. Ex gravi causa ob reverentiam Sacramenti adjici potest conditio de præsenti, vel præterito. e.* g. *Si non es baptizatus. c.* 2. *de Baptismo. In dubio qualitas actui adjecta potius pro modo & obligatione adjecta, quam conditione suspensiva habenda est; quia in dubio standum est pro valore actus; uti si Episcopus furtive accedentes, vel excommunicatos se nolle ordinare declaret; aut sacerdos se velle absolvere pœnitentem dicat, si inique ablata restituat, aut peccandi occasionem devitet. Arg. l.* Muto. 6. § 1. *D. de Tutelis. ibi:*. Sub conditione a Præsidibus provinciarum non posse dari tutorem placet: & si datus sit, nullius esse momenti dationem: & ita Pomponius ait. Hanc autem adjectionem, quam Præsides provinciarum faciunt: *Tutorem do, si satisdederit,* non conditionem in se habere, sed admonitionem, non aliter ei tutelam committi, quam si satisdederit, hoc est, non aliter ei gerere permittendum, quam si rem salvam fore caverit.

§. 84.

§. 84. Decisio II. Si conditionibus quibusque aut modis adjectis reipsa affigitur consensus contrahentium sponsalia de futuro aut de præsenti, nec ab iis conditionibus vel pactis postea recedatur, sponsalia quæcunque, earum conditionum vel modorum defectu sunt nulla; quia reipsa deficit voluntas & consensus, qui nulla auctoritate humana suppleri potest. Id manifestum est, si conditio suspensiva, aut etiam modus sponsalibus de futuro adjicitur c. 2. h. t. Matrimonium quoque defectu qualitatis nullum est, si ei consensus affigitur tanquam conditioni de præsenti. Conf. §. 44. Si in contractu matrimonii assensus affigitur iis conditionibus & modis, quorum defectus durante matrimonio primum intelligi potest, ii degenerant in conditionem resolutivam, quæ matrimonium inde a principio reddit nullum e. g. contraho tecum, quamdiu in fide & honestate permanseris, id est, quamdiu adulterium non commiseris: contraho, si mecum in patriam redeas.

§. 85. Præmissis binis decisionibus, quæ ad sponsalia de futuro & de præsenti æque pertinent, seorsim agendum est de conditionibus, quæ adjiciuntur sponsalibus de futuro. *Conditio proprie talis, id est, honesta de futuro contingente, adjici potest sponsalibus de futuro.* §. 82. Effectus est: 1. ut suspendatur obligatio usque ad eventum conditionis: 2. ut ante eum eventum non producatur impedimentum publicæ honestatis (*e*): 3. ut oriatur tamen obligatio conditionis eventum exspectandi (*f*): 4. ut jure veteri, & nunc etiam in illis locis, ubi non obstat Decretum Concilii Tridentini de clandestinis nuptiis, sponsi post sponsalia conditionata exercentes copulam carnalem, a conditione recessisse, & matrimonium consummasse censeantur præsumtione tam forti,

ſorti, ut non admittatur probatio in contrarium. c. 6. h. t. 5. Ut ſi conditio impleatur, ſponſalia fiant abſoluta, & producant impedimentum publicæ honeſtatis; obligatio autem abſoluta retrotrahatur ad initium actus geſti: ſi conditio deficiat, ſponſalia penitus corruant, & nullum pariant effectum. c. 5. h. t. (g).

(e) *C. un. §. 1. de ſponſ. & matr. in 6. Qui poſt ſponſalia conditionata cum Titia, ante eventum conditionis, de præſenti contrahit cum ſorore Titiæ, valide contrahit.*

(f) *P. Holzmann in Jure Can. Pract. h. t. ponit hanc ſpeciem: Quirinus promiſit matrimonium Semproniæ ſub conditione,* ſi pater conſenſerit; *& paulo poſt ſimiliter promiſit matrimonium Sebaldæ ſub conditione,* ſi officium quoddam obtinuerit. *Contigit, ut conditio poſterioribus ſponſalibus adjecta prius impleretur, quam adjecta prioribus. Quæritur, utram Quirinus teneatur ducere in uxorem? Reſpondet cum aliis ibi cit.* primam, *nempe Semproniam; niſi ſponſalia cum hac inita antea fuerint legitime diſſoluta, aut conditio defecerit. Ratio petitur ex regula juris* 21. *in* 6. *ibi:* Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt. *Etſi enim conditio de futuro nil ponat in eſſe, uti vulgo dicitur; tamen producit obligationem exſpectandi eventum conditionis, & alteri parti confert ſpem debitum iri.* § 4. *Inſt. de V. O. Præterea eveniente conditione obligatio abſoluta retrotrahitur ad initium actus geſti. Exemplum elegans & argumentum pro hac deciſione peti poteſt ex l* Potior. 11. §. 1. *D. Qui potiores in pignore. Ubi proponitur hæc ſpecies: Si ſub conditione ſtipulatione facta, hypotheca data ſit; qua pendente alius credidit pure, & accepit eandem hypothecam; tunc deinde prioris ſtipulationis exiſtat conditio; quæritur, quis potior cenſendus, ſeu præferendus ſit in hypotheca? R. is, qui ſub conditione eandem prius accepit, ibi:* Cum enim ſemel conditio extitit, perinde habetur, ac ſi illo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet.

(g) *Hi effectus conditionis suspensivæ fere etiam locum habent in aliis actibus conditionatis. Diciturque hæc una conditio proprie talis, quæ in futurum, eumque incertum & possibilem eventum conjicitur.* §. 4. *Inst. de V. O. l.* 37. *l.* 39. *D. de rebus creditis. De hac una conditione verum est, ante ejus existentiam nec cedit, nec venit dies. l.* 213. *D. de V. S. Triplex autem statuitur ejusmodi conditio de futuro,* potestativa, *seu collata in arbitrium ejus, cui fit promissio,* casualis, *&* mixta. *l un.* §. 7. *C. de caducis tollendis.* Potestativa *maxime concipi potest tum* affirmative: *si negotia mea curaveris; tum* negative, *si non emigraveris. Conditio relicta in arbitrio ejus, qui promittit, vel disponit, nihil operatur; e. g. dabo, si voluero. cit. l.* 11. *pr. D. qui potiores in pign. Agitur autem hic de conditione honesta: de turpi mox infra. Dein agitur de futuro possibili. Quæ enim casu extraordinario, aut ex sola gratia Principis aliquando fiunt, non censentur huc pertinere, uti explicabitur inde a* §. 89.

§. 86. Præter conditiones proprie dictas adjici sponsalibus possunt impropriæ, ceu 1. *conditiones de præsenti, vel de præterito,* quæ vim actus non suspendunt, sed eum mox validum reddunt, aut nullum, etsi contrahentes ignorent, utrum extent vel non. Necesse tamen est, ut, qui ejusmodi conditionibus assensum affigit, eas in contractu exprimat; secus nil operantur mente retentæ. §. 40. & §. 43. 2. Adjici possunt, etsi necesse haud sit, conditiones *necessariæ & intrinsecæ ex natura rei, vel dispositione juris* e. g. nisi religionem ingrediar. Ejusmodi conditiones actum non faciunt conditionatum, etsi exprimantur. l. 9. §. 1. D. de novationib. 3. Adjici potest *dies*, a quo incipiant efficaciter obligare sponsalia, vel quo finiatur obligatio, si interim non fuerit contractum matrimonium. 4. *Modus*, inducens obligationem ad subeundum aliquod gravamen honestum. §. 82. 5. *Arrha*, reversura ad dantem post dissoluta ex legitimis causis sponsalia, vel post contractum

tractum matrimonium (nisi aliud jus arrhæ consuetudo induxerit), amittenda autem a dante, vel in duplum restituenda ab accipiente, si absque legitima causa resilierit. l. 3. & 5. C. de sponsal. & arrhis. 6. *Pœna* conventionalis sponsalibus jure communi adjici non potest. Nam cit. l. 5. C. de sponsal. excluditur pactio de restituendo ultra quadruplum eo, quod arrhæ nomine datum est; excluditur item omnis pœna conventionalis. Huic decisioni inhæret Pontifex c. *Gemma.* 29. de spons. quo loco non allegatur defectus ætatis inter sponsos, sed hæc ratio: *Cum libera matrimonia esse debeant; & ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda.* Hæc ratio petita est ex Jure civili cit. l. 5. C. de sponsal. l. *Titia.* 143. D. de V. O. l. 2. C. de inutilib. stipul. Contraria consuetudo probanda est pro singularibus locis. Ea certe non probatur ex Nov. Leonis 18. quia eæ Novellæ nunquam receptæ fuerunt in Occidente.

§. 87. Conditiones impossibiles *natura aut facto*, adjectæ sponsalibus de futuro dissensum potius, animumque a matrimonio abhorrentem, quam promissionem futuri matrimonii indicant, adeoque nulla reddunt sponsalia. l. 31. D. de A. & O. §. 11. Inst. de inut. stipulat. *Impossibiles jure*, id est, quæ repugnant legibus vel moribus, eædem sunt, quæ dicuntur *turpes.* l. 15. D. de condit. instit. De his in aliis actibus examinari solet, utrum turpitudo versetur ex parte utriusque contrahentis, vel solius dantis, seu promittentis, vel ex parte accipientis. In sponsalibus autem & matrimonio illud primo dispiciendum est, utrum turpitudo repugnet substantiæ sponsalium vel matrimonii; quia non omnis conditio turpis continuo substantiæ eorum repugnat: nec

 vicis-

viciſſim, quod ſubſtantiæ repugnat, per ſe turpe eſt. Siqui ſponſalia contraherent expreſſe ſub obligatione levi, non ob id turpiter agerent, ſed nec vera ſponſalia inirent, verum aliam promiſſionem arbitrariam. In pactis turpibus illa videtur neceſſaria diſtinctio, vi cujus alia turpia ſunt *ex primario objecto conventionis*, e. g. dabo centum, ſi cajum occideris; alia *ex conditione vel modo adjecto*, ut ſiquis alteri promittenti repromittat matrimonium adjecta conditione vel modo, ut patrem occidat hereditatis capiendæ cauſa, vel ut pars altera in flagitium conſentiat. Quo caſu contractus ſponſalitius per ſe objectum habet, ſed ob additum pactum fit turpis.

§. 88. *Sponſalia de futuro, quibus conditio, aut modus turpis adjectus eſt, non producunt obligationem, antequam impletur conditio, aut modus turpis;* quia ſine eo nulla facta eſt promiſſio. *Nec producunt obligationem, implendi conditionem vel modum turpem;* quia ad id, quod turpe eſt, id eſt, legibus vetitum, nulla concipi poteſt orta obligatio. Ex his inferes: *Sponſalia de futuro ſub conditione vel modo turpi non producunt obligationem, etiam impleta conditione vel modo turpi;* quia *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.* c. 18. de R. J. in 6. & l. 29. D. eod. Qui pactum turpe referunt ad contractum innominatum: *Facio, ut facias;* turpitudinem per hoc non abſtergunt, quæ contractum vitiat. Rationes naturales hujus nullitatis expendi in Jur. Nat. priv. §. 57. Eædem aperte aſſumuntur in utroque Jure. l. 123. D. de V. O. ibi: *Si flagitii faciendi vel facti cauſa concepta ſit ſtipulatio, ab initio non valet.* c. fin. de Pactis. ibi: *Juxta legitimas ſanctiones pactum turpe vel rei turpis, aut impoſſibilis de jure vel de facto nullam obligationem inducit* (*h*).

(*h*) *Pro*

(*h*) *Pro foro quidem interno penitus nulla & irrita cenfeo fponfalia non aliter, nifi conditione vel pacto turpi inita. At in foro externo nemo permittitur allegare turpitudinem fuam; ac fi de flagitio conftet, Judicis eft difpicere, quænam pars alteram feduxerit, indeque conformare fententiam juri unius & culpæ alterius confentaneam.*

§. 89. Sponfalia de futuro fub conditione: *Si parentes confenferint*, eveniente hac conditione valent, & abfolutam continent obligationem, quin novus poftea requiratur confenfus; id quod fatentur omnes; cur ergo, inquies, non etiam valeant fponfalia fub conditione: *Si Papa difpenfaverit;* conditione impleta, hoc eft, difpenfatione in impedimento dirimente jufte petita, honefte data, legitime obtenta? Pro valore ejusmodi fponfalium pugnat P. Anacletus cum aliis: plurimi repugnant; ac repugnat ipfa praxis tribunalium Romæ, & decifionum Rotæ. Eminentiffimus Card. de Luca Tom. 3. difcurfu 7. de matrim. hanc ponit fpeciem facti: Titius & Mævia quarto affinitatis gradu conjuncti contrahunt inter fe fponfalia de futuro fub refervatione feu conditione apoftolicæ difpenfationis, quæ poftea fuit obtenta. At cum Titius, quantumcunque cuperet matrimonium promiffum inire, carcere detineretur, Mævia refiliens a dictis fponfalibus contrahit matrimonium cum Cajo memorati Titii filio, quem is ex priore matrimonio fufceperat, idque confummat. Sed non diu poft orta eft dubitatio de poftremi hujus matrimonii valore; de quo confultus idem Eminent. refpondit: Si cum Titio fola fponfalia de futuro fub dicta conditione: *Si Papa difpenfaverit*, fuerint celebrata, eaque poft obtentam difpenfationem non fuerint novo confenfu roborata, aut per ipfum matrimonium ratum cum Titio ad effectum

 per-

perducta, valere matrimonium cum Cajo Titii filio. Cum enim ex facti specie de aliis impedimentis non constet, dicti matrimonii valori solum obstare posset impedimentum publicæ honestatis resultans ex prioribus sponsalibus a Mævia contractis cum Titio patre Caji. At ex illis sponsalibus nullum oriebatur impedimentum publicæ honestatis; quia jure novo Concilii Trid. Sess. XXIV. de Sacr. Matr. c. 3. de ref. decisum est, ex sponsalibus quacunque ratione invalidis non oriri prædictum impedimentum. Atqui sponsalia inter Titium & Mæviam inita sub ea conditione, *si Papa dispensaverit*, erant penitus invalida, ita quidem, ut non solum ante obtentam dispensationem non fuerint absoluta, nec impedimentum publicæ honestatis produxerint, sed ut nullam penitus obligationem aut alium quemcumque induxerint effectum (uti tamen alia sponsalia conditionata sub honesta & possibili conditione pariunt obligationem juxta omnes), neque per adventum conditionis evaserint absoluta vel ullo modo obligantia, nisi novus ac liber accesserit simultaneus consensus contrahentium. Hanc sententiam negativam sæpius secuta est S. Congregatio Concilii; uti habetur Tomo 6. Thesauri Resolutionum in una Januensi die 12. Dec. 1733. De eadem praxi Tribunalium Rom. testatur Riccius in praxi matrimoniali decis. 248.

§. 90. Prob. sententia. Ex actu gesto inter personas jure perpetuo inhabiles nulla oritur obligatio, neque absoluta, ut patet, neque conditionata, quæ eveniente dicta conditione transeat in absolutam; quia impleta conditio, nempe dispensatio re ipsa obtenta, hanc tantummodo vim habet, ut personæ ex tempore obtentæ & cognitæ dispensationis fiant habiles ad valida sponsalia contrahenda, non ut firme-

tur

tur actus ante obtentam diſpenſationem inter perſonas perpetuo jure inhabiles geſtus. Sane aliud eſt, habilem facere ad actus deinceps gerendos poſt obtentam habilitatem: & aliud firmare actum tempore inhabili geſtum; quemadmodum hæc differunt: leges condere pro actibus futuris, & eas extendere ad actus præteritos adhuc pendentes: dare nobilitatem, ut deinceps pro nobili gerere ſe quis poſſit: & fingere, eum 100 annis vel per quatuor generationes retro fuiſſe nobilem. Quæ vero ſit mens diſpenſantis Pontificis, patet ex ipſa praxi Tribunalium Romanorum.

§. 91. *Dicunt:* Conditio de futuro, ſi impletur, retrotrahitur ad tempus actus geſti: ergo etiam hæc conditio: *Si Papa diſpenſaverit.* R. d. a. ſi eſt conditio extrinſeca, & ſi conditionate contrahentes de ſe habiles ſunt tempore actus conditionate geſti c. a. ſi conditio eſt talis, quæ contrahentes ſupponit inhabiles, & primum habiles efficere debet, n. vel ſubd. quando is, qui habilitatem vel diſpenſationem concedit, hoc animo eſt, ut velit habilitatem retrotrahi c. ſecus n. a. Exemplum, quo legislator tali animo eſt, extat l. 62. D. de heredib. inſtit. ibi: *In tempus capiendæ hereditatis inſtitui heredem poſſe, benevolentiæ eſt, veluti Lucius Titius, cum capere poterit, heres eſto: idem & in legato.* Hæc inſtitutio in diem, de quo incertum eſt, an & quando ſit extiturus, æquipollet conditioni proprie tali. Eſt autem hæc benevolentia ſive diſpenſatio juris, proindeque exceptio, quæ firmat regulam in contrarium. Regula generalis eſt hæc: Ut inſtitutus ſit capax tempore teſtamenti conditi, mortis teſtatoris & aditionis hereditatis. l. 491. §. 1. ib. & tot. tit. D. *De Regula Catoniana.*

§. 92. *Dicunt* 2. Diſpoſitio facta tempore inhabili ſubſiſtere poteſt, quando confertur in tempus habile; eſtque hoc Brocardici inſtar apud Juriſconſultos. Ergo R. d. a. In caſibus, in quibus id jura expreſſe ſtatuunt, uti l. 62. ſupra cit. & c. 7. de ſepulturis; aut ſi illa inhabilitas non afficiat ipſas perſonas, ſed ſuppoſita ipſarum habilitate aliud impedimentum extrinſecum c. ſecus n. a. quando tempore actus geſti deeſt habilitas perſonarum, ſeu ipſa facultas & poteſtas diſponendi, ea regula non valet; uti patet ſequentibus exemplis.

I. Vivente Prælato, etſi ejus vita deſperata ſit, vel eodem nondum ſepulturæ tradito non tantum illicitus, ſed etiam invalidus eſt tractatus collegialis de futuro ſucceſſore can. 7. diſt. 79. & c. 36. de electione.

II. Durante conjugio invalida ſunt ſponſalia de futuro ab alterutra parte in caſum mortis alterius inita c. fin. de eo, qui duxit. arg. can. 39. VII. q. 1. & c. 2. de conceſſ. præb.

III. Citatio ad faciendam novam electionem, ſi emiſſa eſt ante mortem Prælati, etſi in diem, & caſum mortis, ipſo jure irrita eſt; & ideo non conſtringit citatum; quia prodiit a non habentibus citandi poteſtatem: quare perinde eſt, ac ſi aliquis nondum conſtitutus Judex citet quempiam ad diem, in quo jurisdictione præditus erit; invalida eſt hæc citatio; quia facta a non habente poteſtatem. In his initium ſpectatur, & præſentis temporis jus, ejus nimirum temporis, quo actus geſtus eſt; locumque habet regula juris 29. in Digeſtis: *Quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere.*

IV.

IV. Exemplum ex jure civili & fundamentum universæ hujus doctrinæ præbet Paulus Ictus l. 26. D. de stipulationibus servorum: ubi docet, primo servum hereditarium, id est, qui ad hereditatem nondum aditam, sed jacentem pertinet, inutiliter usumfructum stipulari; quia usfructus, cum sit servitus personalis, sine persona esse non potest: servus autem in se personam non habet: & hereditate jacente ex persona domini stipulari non potest. Dein addit Ictus: Ne sub conditione quidem (hereditatis additæ) servus utiliter usumfructum stipulari potest: *Quia ex præsenti vires accipit stipulatio, quamvis petitio ex ea* (conditione) *suspensa sit.*

V. Maximus est favor ultimarum voluntatum; & tamen testamentum filiifamilias, etsi sui juris factus decesserit, aut testamentum servi, etsi postea libertatem obtinuerit, nullum est; nempe ex defectu præsentis habilitatis. tot. tit. Inst. quibus non est permiss. facere test. item l. 8. & l. 19. D. qui testament. fac. possunt. Universe huc pertinet cit. regula Catoniana lib. 34. D. tit. 7. quæ sic habet: *Quodsi testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret: id legatum* (vel ea institutio) *quandocunque decesserit, non valet.*

VI. L. 137. §. 6. D. de V. O. ibi: „Cum quis „sub hac conditione stipulatus sit: *Si rem sacram aut „religiosam Titius vendiderit, vel forum aut basili- „cam & hujusmodi res*, quæ publicis usibus in per- „petuum relicta sint, ubi omnino conditio jure im- „pleri non potest, vel id facere ei non liceat: nul- „lius momenti fore stipulationem, proinde ac si ea „conditio, quæ natura impossibilis est, inserta esset. „Nec ad rem pertinet, quod jus mutari potest, & id,

„ quod nunc impossibile est, postea possibile fieri: „ *non enim secundum futuri temporis jus, sed secun- „ dum præsentis æstimari debet stipulatio.*" Nempe ea, quæ publicis legibus constituta sunt, etsi gratia vel auctoritate Principis mutari possint, non sinuntur pactis privatorum subjici, nec talia censentur esse in commercio, uti Ulpianus l. 39. §. ult. D. de legat. 1. ait, ibi: *Sed & prædia Cæsaris, quæ in formam patrimonii redacta sub procuratore patrimonii sunt, si legentur; nec æstimatio eorum debet præstari; quoniam commercium eorum, nisi jussu Principis, non sit; cum distrahi non soleant.* Nec dici potest, valida saltem censenda sponsalia sub conditione: *Si Papa dispensaverit*, in casu, quo Pontifex frequenter dispensare *solet*, ceu in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu. Nam respondeo, quod Pontifex ex mera gratia facit, relaxando jus commune, semper per se est impossibile, & extra commercium privatorum. Dein *solitum* dici non potest, quod etsi respectu omnium cum dispensatione contrahentium sæpe fiat; tamen relate ad omnes matrimonium cum vel sine dispensatione contrahentes valde rarum est, & quovis casu extraordinarium, & abhorrens a jure communi; neque *solitum* dici potest, quod sine exigentia justæ causæ non fit, neque licite fieri potest.

VII. Istiusmodi conditiones: *Si liber homo servus factus fuerit, aut res religiosa cœperit esse profana*, tanquam tristes, inciviles & mali ominis habentur a legibus. l. 34. §. 2. D. de contrah. emtione. Ibi: *Neque enim fas est, ejusmodi casus exspectare.* Hinc pro nullis habentur tales contractus l. 83. §. 5. D. de V. O. Eodem titulo l. 35. §. 1. nulla dicuntur sponsalia cum sorore adoptiva inita, etsi dissoluta per emancipationem legali cognatione conju-

gium

gium possibile fieri possit; quia ut Paulus Ictus ibi ait: *Statim contra bonos mores fit.*

§. 93. Transeundum est ad conditiones sponsalibus de præsenti & matrimonio adjectas. Disputant inprimis Doctores Recentiores, utrum conditio suspensiva de futuro adjici matrimonio possit. Qui posse id fieri affirmant, id probant ex natura contractus. §. 82. Qui negant, naturam contractus matrimonialis, qui consensum de præsenti requirit, & rationem Sacramenti tanquam actus legitimi allegant. §. 83. Pontifex c. 3. h. t. ait, quod hujusmodi consensus (præstitus sub conditione, *si pater consenserit*) *non sit de præsenti habendus; licet per verba de præsenti evidentius exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit.* Verum defensores matrimonii conditionati ajunt, hujusmodi consensum non esse de *præsenti absoluto*, sed *de præsenti conditionato.* Replicant alii: *Conditio nihil ponit in esse;* & qui assensum suspendit ad futurum & incertum eventum, in præsenti non consentit. Hinc Veteres rejecta conditione de futuro matrimonium absolute initum fuisse præsumebant (*i*). Certum est, admodum rara esse matrimonia conditionata, nec sine summa necessitate, & cautione permitti posse.

(*i*) *Hic videtur esse sensus c. 1. h. t. quod ex Concilio Africano dicitur profectum, sed in Conciliis Africanis frustra quæritur. Videtur ergo in Decretales fluxisse ex Decreto Gratiani can. 7. & 8. XXVII. q. 2. in quem locum Berardus commentatur his verbis: „Statim ac quis de præsenti consentit, & matrimonium „revera contrahit, jam certum est, eum nolle actum suspendere, ac propterea nolle matrimonio conditionem „adjicere. Itaque res hæc disputationem nullam aut „controversiam pati poterat; & vix digna erat, quæ „inter Philosophos, Theologosve duodecimi, aut decimi „tertii seculi scholarum pulverem agitaret." Sed confer Fagnanum ad c. 3. h. t. n. 23. & ad c. 5. eod.*

§. 94.

§. 94. Conditiones de præsenti aut de præterito, aliive modi contractui matrimoniali adjici non solent, nec id permittendum est ob gravissima incommoda. Siquis ejusmodi conditionibus, aliisve pactis consensum se affixisse afferat, id plenissime probare debet. §. 44. & 84. *Aliæ conditiones* (modo substantiæ conjugii non repugnent) *appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debent propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* c. fin. h. t.

§. 95. Conditiones, quæ matrimonii substantiæ repugnant (§. 81. in fin.), exemplis declarantur c. fin. h. t. Bono prolis repugnat conditio: *Si generationem prolis evites.* Bono fidei conjugalis obest conditio: *Si pro quæstu adulterandam de tradas.* Bono Sacramenti contraria est conditio: *Donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem.* Animadverte *Primo.* Non sunt hæ conditiones proprie dictæ, sed potius pacta & modi contractui additi, §. 81. *Secundo.* Conditio ultimo loco expressa exhibet conditionem *resolutivam* §. 84. *Tertio.* Dicuntur hæ conditiones repugnare *substantiæ matrimonii;* quia omne commercium extra legitimum conjugium, jure divino turpe est, & illicitum. §. 6. *Quarto.* Ut ejusmodi conditiones irritum reddant matrimonium, necesse est, ut in continenti, in ipso nempe contrahendi actu adjiciantur, consensu iis affixo; postea adjectæ matrimonium non vitiant, sed ipsæ vitiantur. Arg. l. *Per servum.* 14. §. 1. D. de usu & habit. *Quinto.* Casus ejusmodi conditionum, quæ c. fin. enumerantur, *exempla* sunt, quibus regula declaratur, non quibus arctatur. Aliæ conditiones prioribus quoad rem similes concipi possunt, per quas matrimonia vitiantur; uti ex sequentibus patebit.

§. 96.

§. 96. Si matrimonium ineatur inter duos, qui pravum habent errorem substantiæ matrimonii repugnantem, ut inter Græcos, qui censent, conjugii vinculum dissolvi per alterius conjugis adulterium, prava hæc opinio non officit validitati matrimonii. Ita resolvit S. Congregatio Concilii die 15. Januar. 1724. Benedict. XIV. de Synodo lib. 13. c. 22. §. 4. *nov. Edit.* conf. §. 20. Verum si hæc opinio deducatur in pactum, tanquam conditio in actu ineundi matrimonii; tunc matrimonium nullum est; uti semper accidit, cum matrimonio est apposita conditio substantiæ matrimonii repugnans. c. fin. h. t. Ob hanc causam matrimonia Calvinistarum, uti in Transylvania contrahunt, a S. Congregatione Concilii, pro nullis declarata sunt (*k*).

(*k*) *Secundum formulam, qua Calvinistæ utuntur, minister matrimonio assistens sponsum interrogat*: Accipisne illam in uxorem? *respondet ille :* Accipio. *Eadem verba ministro interroganti repetit sponsa. Tum minister iterum ad sponsum : Personam, quam manu tenes, amas, & accipis eam in perpetuam uxorem, nec in ulla illius ærumna deseres*, quoad usque in sua honestate & puritate permanserit ? *Tantundem dicit sponsæ. Porro illud, quoadusque in sua honestate & puritate permanserit, in sensu Calvinistarum denotat, virum accipere sponsam in uxorem, quoadusque adulterium non contraxerit, eoque commisso vinculum conjugii solvi. Celebrant igitur matrimonia cum conditione opposita eorum perpetuitati; quod substantiæ repugnat. Neque obstat huic decisioni, quod prius dicat uterque sponsus*, accipio hunc in conjugem ; *ac deinde ad novam interrogationem uterque conditionem subdat; quia & prior & secunda interrogatio pro uno, eodemque actu habetur.*

§. 97. Secundum hæc principia a S. Congregatione Concilii resolutus fuit casus alter die 8. Junii 1724. Vir & femina convenerunt celebrare matri-

monium coram Ecclesia, ut illud nequaquam consummare deberent, sed post quinque dies mulier monasterium ingrederetur, & post probationis annum profiteretur: interim vero omni juri renuntiabat, quod in mariti personam ex matrimonio sibi acquirere potuisset; consenseratque, ut, si ab his pactis defecisset, matrimonium nullum, irritumque declararetur. Ita conventum inter illos, pactaque hæc scriptis consignata sunt, ac significata testibus & parocho, coram quibus ineundæ erant nuptiæ. Hoc matrimonium nullum esse declaravit S. Congregatio Concilii ex c. fin. h. t. conf. Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 52. §. 10. *nov. Edit.* (*l*).

(*l*) *Hæc exscripsi ex Epitome Doctr. Mor. & Canon. desumtæ ex operibus Bened. XIV. v.* Matrimonium. *Quia nova ejus operis editione destituor.*

§. 98. Utrum voluntas mutua sponsorum in pactum deducta non utendi matrimonio, istuc irritum reddat, puto, decisum non esse, nisi promissioni mutuæ accedat clausula, ut, siqua pars a promisso recedat, matrimonium pro irrito habeatur. Talis enim contractus aperte fit sub conditione resolutiva. De Matrimonio B. Virginis Mariæ & S. Joseph passim sic disserunt Doctores, ut censeant illud *absolute* fuisse contractum, translata mutua potestate corporum, sic tamen, ut pars utraque animum habuerit ab omni carnali commixtione abstinendi, & verosimiliter de hoc animo fuerit divinitus edocta. can. *sufficiat.* 2. & ibi Gratianus. & can. seq. XXVII. q. 2.

§. 99. *Demonstrationes* etiam & *causæ* aliquando adhibentur in contrahendis sponsalibus de futuro, aut, quod rarius fit, de præsenti. Illæ serviunt designandæ personæ; ac tum redundare possunt in substantiam

ſtantiam matrimonii. §. 40. *Cauſæ* differunt a modis, fere uti apud Philoſophos cauſa moralis & finalis. l. 52. D. de Condict. indeb. Ejusmodi autem cauſæ impulſivæ, niſi exprimantur, in contractibus attendi non ſolent. §. 43.

Titulus VI.

Qui Clerici vel Voventes Matrimonium contrahere possunt.

ARGUMENTUM.

I. Exponitur diverſitas Clericorum & Voventium. §. 100. II. Dein caſus quadruplex: Si præcedant Ordines, & ſequantur ſponſalia de futuro, aut de præſenti. §. 101. III. Si præcedant ſponſalia, & ſequantur Ordines. §. 102. IV. Si præcedat votum, & ſequantur ſponſalia. §. 103. V. Si præcedant ſponſalia, & ſequatur votum. §. 104.

§. 100. Sunt Clerici Ordinum *minorum*, & *majorum*: *Voventes* alii, qui voto *ſimplici* cælibatus ſeu non nubendi, aut virginitatis, & caſtitatis perpetuæ, aut ſuſcipiendi Ordines Clericales (*a*), alii, qui voto *ſolemni* caſtitatis tenentur. Definitum eſt autem 1. *illud ſolum votum debere dici ſolemne, quantum ad contrahendum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per profeſſionem expreſſam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis.* 2. Quod voti vis irritum reddendi matrimonium poſtea contracti, ſeu *ſolemnitas ex ſolo Conſtitutione Eccleſiæ ſit inventa.* c. un. de Voto & vot. red. in 6. Quatuor ſunt caſus, quibus Ordo Clericalis minor vel major, dein votum ſimplex aut

aut solemne referri potest ad sponsalia de futuro aut de præsenti *licite* aut *valide* contrahenda. De aliis effectibus Ordinum relate ad matrimonium, & de matrimonio relate ad vota religionis actum est L. III. tit. 3. *de Clericis conjugatis*; & Tit. 32. *de conversione conjugatorum*, remissive.

(a) *Hæc ipsa vota non nihil differunt inter se; uti docet Theologia moralis, & ipsa verborum vis indicat.*

§. 101. Casus I. *Si præcedant Ordines, & post eos fiant sponsalia de futuro aut præsenti.* Post Ordines *minores* valide contrahi potest matrimonium, & ex causa etiam licite; proindeque etiam sponsalia de futuro. Nihil enim obstat. De effectu matrimonii post Ordines minores contracti actum est L. 3. §. 9. *de Clericis conjugatis*. 2. Post Ordines *majores* contractum matrimonium invalidum est ob annexum votum solemne castitatis. c. 1. h. t. c. un. de voto in 6. Concil. Trid. can. 9. de Sacr. Matr. Impedimentum hoc dirimens est juris ecclesiastici, uti ipsa solemnitas voti sacris Ordinibus annexi, quod privatorum arbitrio excludi non potest. Qui statum libere suscipit, hoc ipso se adstringit ad obligationes statui annexas. Coactus vi injusta & gravi ad sacrum Ordinem suscipiendum, vi probata ab obligatione ejus voti liber declaratur, interdicta functione Ordinis suscepti (*b*). Extra hunc casum dispensatio in jure communi per Concilium Tridentinum confirmato ad solum pertinet Romanum Pontificem.

(*b*) *Exemplum referunt Ephemerides Moguntinæ ad an.* 1786. *fasciculo XI. pag.* 927. *Causa votum continentiæ annectendi sacris Ordinibus indicata est L. III.* §. 15. *Matrimonium* POST *SS. Ordines contractum etiam apud Græcos per se irritum censetur. Dum enim Ecclesia Orientalis votum continentiæ non admisisse dicitur, c.* 6. *de Clericis conj., id eo sensu intelligendum est, quod matri-*

matrimonio ANTE *Ordinem sacrum contracto post eum susceptum uti promotos sinerent. De effectu matrimonii post sacros Ordines attentati conf. Lib. III.* §. 10. *&* C. 1. *&* 2. *h. t.*

§. 102. Casus II. *Si præcedant sponsalia, & sequantur Ordines.* 1. Post sponsalia de futuro aut de præsenti illicite suscipiuntur quicunque Ordines, nisi suscipiens velit religionem ingredi; quod facere potest invita Sponsa, ante consummatum matrimonium, vel post illud, si uxor consentiat, & votum continentiæ emittat. conf. L. I. Decret. §. 457. & seq. 2. Ordo etiam sacer non dirimit matrimonium *prius contractum, etsi per carnis copulam non fuerit consummatum; cum nec jure divino, nec per sacros reperiamus Canones hoc statutum.* Extrav. un. Joan. XXII. de voto (c). Addit Pontifex: *Auctoritate Apostolica districtius inhibentes, ne quisquam durante matrimonio nondum etiam consummato, aliquem de sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout sacris Canonibus noverit convenire;* uti mox antea dictum est. Qui non obstante hoc interdicto post matrimonium etiam ratum tantum, Ordinem majorem suscepit, non potest *soluto matrimonio in Ordine sic suscepto ministrare, nec ad superiores Ordines provehi, nec ad aliquod beneficium, vel officium ecclesiasticum promoveri.* Ibid. nisi religionem ingrediatur, & in ea profiteatur; *quo casu Diœcesanus super præmissis, & singulis præmissorum cum eo dispensare valeat, nisi sit aliud Canonicum, quod obsistat. Ad ingressum hujusmodi sic ordinatum, si matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri præcipimus, & induci. Quodsi forsan noluerit adimplere, ipsum, si sponsa ejus institerit, per censuram ecclesiasticam compellendum decernimus, contractum matrimonium consummari.*

(c) *Major ergo vis est professionis religiosæ, quam SS. Ordinum; per ipsam enim, uti mox dicetur, dissolvitur matrimonium ratum, non item per hos. Hi duo casus vulgo sic exprimuntur*: Ordo facer dirimit matrimonium contrahendum, non item contractum, licet ratum tantum.

§. 103. Casus III. *Si votum præcedat: sponsalia sequantur.* 1. Votum *simplex* religionis, castitatis, sacrorum Ordinum, non nubendi, sponsalia de futuro postea inita reddit illicita & irrita, etsi juramento fuerint confirmata, aut fornicatio accesserit (*d*): sponsalia autem de præsenti seu matrimonium contrahendum impedit, contractum non dirimit; id est, matrimonium post ejusmodi votum simplex contractum, fit illicitum; non autem irritum. c. 3. & 6. h. t. c. un. de Voto. in 6. (*e*). Exceptionem de matrimonio post votum etiam simplex nulliter contracto mox indicabo. 2. Votum *solemne* professionis religiosæ matrimonium contrahendum dirimit §. 100. Concil. Trid. Sess. XXIV. can. 9. de Sacr. Matr. Eundem effectum habent vota simplicia in Societate Jesu emissa post Novitiatum, ex Const. Gregorii XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino*. an. 1584. Potuit sane Pontifex hoc decernere, cum voti solemnitas, quantum ad contrahendum matrimonium dirimendum, ex sola Constitutione Ecclesiæ sit inventa. cit. §. 100. Idem secundum antiquos Canones dicendum est de voto continentiæ etiam simplici, quod facit uxor consentiens in sacros Ordines mariti; quodque irritat sequens matrimonium post mortem mariti contrahendum (*f*). Atque hæ sunt exceptiones de voto simplici superius memoratæ. 3. Potest Summus Pontifex dispensando ex Religioso facere non Religiosum, eumque a votis liberatum restituere habilem ad contrahendum matrimonium. Exemplum habetur in Casimiro Poloniæ

Princi-

Principe, antea professo & Diacono. Patet autem, hanc relaxationem juris communis & voti reservati soli Papæ competere.

(*d*) *C.* 6. *h. t. ibi:* Cum simplex votum apud Deum non minus obliget, quam solemne: pro eo, quod temere juravit, pœnitentiam agat, & votum, quod Deo fecit, studeat observare. *Rationem voti simplicis de ingredienda religione olim habitus religionis sine professione susceptus habuit. c.* 4. *h. t.*

(*e*) *Qui post emissum votum perpetuæ castitatis contrahit matrimonium, tenetur, nisi dispensationem aut commutationem voti impetret, servare in matrimonio castitatem, absque præjudicio tamen juris alteri conjugi competentis. Obligatio etiam voti de ingredienda religione per matrimonium sacrilege contractum suspensa quidem, at non extincta videtur, ut mortuo altero conjuge non iterum vim exerat, urgeatque.*

(*f*) *Can.* Quia sunt. 10. *cum binis seq. dist.* 28. *Can.* Seriatim. 14. *dist.* 32. *Sanchez de Matr. l.* 7. *disp.* 40. *Adde c.* 9 *&* 10. *de convers. conjugat.*

§. 104. Casus IV. *Si sponsalia de futuro, aut præsenti præcedant, & sequatur votum.* Hoc loco distingui debet inprimis inter sponsalia de præsenti, seu matrimonium ratum, & inter matrimonium copula carnali consummatum; deinde inter votum simplex castitatis, cœlibatus, sacrorum Ordinum, & inter votum simplex ingrediendi religionem; quia sponsalibus de futuro, & matrimonio rato ex dispositione juris inest conditio: *nisi religionem ingrediar.* His prænotatis dico: 1. Post sponsalia de futuro non valet votum simplex castitatis, cœlibatus, sacrorum Ordinum: imo vovens punitur ob fidem mentitam, & alteri parti dat justam causam resiliendi a sponsalibus, si velit, ob tacitam renuntiationem voventis, etsi ipsa pars vovens non fiat libera, nisi altera pars libertatem verbis aut factis concedat. c 5. h. t. (*g*).

(g) *Dici non potest, ejusmodi vota edita post sponsalia, ideo valere, quia status castitatis & cœlibatus perfectior est statu matrimonii. Concil. Trid. Sess. XXIV. can. 10. R. enim nullam esse obligationem sectandi perfectiora; quapropter potest se quivis obligare ad matrimonium. Ea inducta obligatione non jam perfectius est, ad statum cœlibatus adspirare, sed injustum & pœna dignum. uti patet ex cit. c. 5. h. t. De jactata obligatione sectandi perfectiora conf. Jus Nat. priv.* §. 12.

§. 105. Dico 2. Post sponsalia de futuro, ac de præsenti, quamdiu per carnis copulam consummata non fuerunt, valet votum simplex ingrediendi religionem: concessus est ipse ingressus, seu valet ipsa professio: & pars altera in sæculo remanens post professionem alterius fit libera a vinculo prioris matrimonii, atque ad alias nuptias transire potest. Atque hoc est, quod vulgo statuitur: per professionem religiosam dissolvitur matrimonium ratum præcedens. c. 2. de convers. conjugat. ibi: *Sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt.* Concil. Trid. l. cit. can. 6. Adde ad hanc decisionem: valet votum ingrediendi, ac valet ipse ingressus, seu professio, etsi alter conjux reluctetur. cit. c. 2. de convers. conjug. Imo etsi ingressus fiat post bimestre a contracto matrimonio, modo istud nondum consummatum fuerit. c. 7. de convers. conj. Sed quod ibidem deciditur, dissoluto sic matrimonio uterque conjux alteri restituit, quod ab altero accepit.

§. 106. Dico 3. Matrimonio per carnis copulam consummato non potest una pars, *altera invita* religionem ingredi, aut maritus *reluctante uxore* ad sacros Ordines promoveri, nisi pars, quæ profiteri aut promoveri vult, habeat jus instituendi divortium perpetuum ob adulterium alterius partis carnale, aut spirituale, seu lapsum in infidelitatem, propter quam ea a parte innocente judicio Ecclesiæ separata fuit.

c. 15.

c. 15. & c. 21. de converſ. conj. Pars adultera detrudi ſolet in clauſtrum. c. 19. eod.

§. 107. Dico 4. In eadem hypotheſi matrimonii jam conſummati non poteſt pars alterutra religionem ingredi, aut maritus ad ſacros Ordines promoveri, niſi conſentiat pars altera, & ſimul religionem ingrediatur, vel ſi ſuſpecta non ſit, continentiam voveat perpetuam. c. 1. 4. 11. de converſ. conjug. De præſtando ab altera parte conſenſu ad deciſionem adde: *Primo.* Non ſufficit conſenſus *ad tempus* præſtitus, aut ſine ingreſſu religionis vel continentiæ perpetuæ voto. cit. c. 11. de converſ. conj. *Secundo.* Non ſufficit conſenſus vi injuſta extortus. c. 17. eod. Dolus non obeſt conſenſui, ſi per moram temporis ratihabetur. c. 16. eod. *Tertio.* Pars religionem profeſſa tenetur votis, etſi cauſa impulſiva profitendi fuerit falſa. c. 14. eod. *Quarto.* Curandum eſt, ut præſtatio conſenſus fiat cum quadam ſolemnitate teſtium, utque in judicio probari poſſit c. 20. eod. *Quinto.* Si pars conſentiens poſtea continentiam non ſervet, profeſſa non tenetur e religione redire. cit. c. 20. eod. At ſi una pars religionem profitetur altera invita, hac exigente redire debet: eadem poſtmodum defuncta ad monaſterium reverti non tenetur: non poteſt tamen novas contrahere nuptias. c. 3. eod. Similis deciſio extat c. 12. eod. Uxor putans virum mortuum, profeſſa eſt: eo reverſo educta eſt ex monaſterio. Illo dein defuncto, de eadem uxore interrogatus Pontifex reſpondit: *Conſultius dicimus, & ei congruentius ad ſalutem, ut ad monaſterium redeat, ubi bona ducta intentione profeſſionem fecit, & habitum religionis accepit. Si vero ad hoc induci non poterit, ipſam invitam credimus non cogendam.*

Titulus VII.

De Eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit adulterio.

Argumentum.

I. Impedimentum criminis quadruplici casu incurritur. §. 108. *II. Non obstante ignorantia juris.* §. 113.

§. 108. *Criminis* impedimentum, de quo agitur h. t., contrahitur inter complices, vel ex adulterio, vel ex conjugicidio, utrinque duplici modo; unde quatuor existunt casus, quibus matrimonium crimine dirimitur. Casus I. est adulterium unius conjugis cum promissione futuri matrimonii facta complici adulterii. Casus II. est itidem adulterium unius conjugis cum matrimonio de præsenti attentato cum complice adulterii. Casus III. est adulterium cum cæde alterius conjugis, patrata ab alterutro complice adulterii cum animo contrahendi matrimonium. Casus IV. secluso adulterio est conjugicidium patratum amborum consensu, & cum intentione contrahendi matrimonium.

§. 109. Animadverte 1. Uti adulterium, & conjugicidium tum a marito, tum ab uxore patrari; ita hoc impedimentum cadere potest in utrumque conjugem. Uxor adultera post mortem mariti nequit validum matrimonium contrahere cum complice adulterii, quocum vivente marito sponsalia de futuro, aut de præsenti attentavit. can. *Relatum*. 4. XXXI. q. 1. Similiter maritus adulter post mortem uxoris nequit validum matrimonium contrahere cum femina illa com-

complice adulterii, quacum vivente uxore ſponſalia de futuro aut præſenti attentavit. c. 7. h. t.

§. 110. Animadverte 2. Ut ex crimine adulterii incurratur hoc impedimentum, neceſſe eſt, ut adulterium ſit *formale*, id eſt, ut etiam complex adulterii ſciat, alterum complicem eſſe in conjugio. c. 1. & 7. h. t.

§. 111. Animadverte 3. Neceſſe præterea eſt ad ſubeundum hoc impedimentum, ut & adulterium & ſponſalia de futuro aut de præſenti, vivente altero conjuge, concurrant, id eſt, ad unum accedat alterum. Sola enim promiſſio vel attentatio ſine adulterio, aut ſolum adulterium ſine promiſſione vel attentatione matrimonii inter complices adulterii, hoc impedimentum non producit. c. 6. & fin. h. t. De hoc infra agetur adcuratius §. 158. ſeq.

§. 112. Animadverte 4. Si ad adulterium accedit conjugicidium, perinde eſt, uter complex adulterii cædem patret; nec opus eſt, ut alter complex pariter conſcius ſit & complex cædis. Secluſo adulterio machinatio ſecuto effectu fieri debet ex conſpiratione utriusque eorum, qui dein matrimonium contrahere volunt. c. 1. de converſ. infid. Utroque autem caſu neceſſe eſt, ut conjugicidium fiat cum intentione matrimonii contrahendi; quæ intentio facile præſumitur in foro externo, niſi contrariis argumentis elidatur (*a*).

(*a*) *Sanchez de Matrim. l. 7. Diſp. 78. n. 19.*

§. 113. Opinio quorundam Doctorum, qua hoc impedimentum ab iis, qui crimini id affixum ignorant, incurri negant, nihil veræ probabilitatis habere ſemper viſa mihi eſt. Nam 1. Alia impedimenta matrimonium dirimentia etiam ab ignorantibus

 incur-

incurruntur; quæ est generalis proprietas legis irritantis (*b*). 2. In casu horum criminum matrimonia simplicitur censentur nulla. c. 1. & fin. h. t. Idque communis usus interpretatur de *inhabilitate* sic contrahentium. Omnia enim ejusmodi impedimenta per modum inhabilitatum sumuntur. 3. Hæc crimina matrimonium dirimunt, etsi patrentur ab infidelibus, & mulieribus, in quibus scientia istiusmodi impedimenti nullo modo præsumi potest cit. c. 1. de conv. infidelium. Demum 4. rationes, quibus utuntur ii Doctores, aut falsæ sunt, aut nullius plane roboris e. g. *Pœnæ non incurruntur ab iis, qui pœnam delicto affixam ignorant: hoc impedimentum primario in pœnam est statutum: Leges irritantes per se pro foro interno non obligant.*

(*b*) *Conf. L. I. Decr.* §. 181. §. 184. *n. VI.* §. 185. *n. II.*

TITULUS VIII.
DE CONJUGIO LEPROSORUM.
TITULUS IX.
DE CONJUGIO SERVORUM.
TITULUS X.
DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

ARGUMENTUM.

I. De lepra, aliove vitio superveniente alterutri sponso vel conjugi. §. 114. *II. De servili conditione relate ad matrimonium.* §. 116. *III. De statu prolium ex conjugibus disparis conditionis.* §. 117.

§. 114. Ob lepram supervenientem sponsalia de futuro dissolvi possunt. c. 3. de conj. lepros. Hæc decisio per interpretationem exten-

extenſivam valet de aliis morbis, aut defectibus ſponſorum tum iis, qui poſt ſponſalia emergunt, tum iis, qui præceſſerunt ignorante parte altera, etſi ſponſalia fuerint jurata. c. 25. de Jurej.; ſi nempe tales ſint, qui cogniti abſterruiſſent a ſponſalibus ineundis. Qui defectu partis alterius jam cognito, matrimonium promittit, ejus obtentu poſtea reſilire non poteſt; quod per ſe liquet. Unde etiam leproſi, *ſi continere nolunt, & aliquam, quæ ſibi nubere velit, invenerint*, ad matrimonium convolare poſſunt. c. 2.

§. 115. Lepra ſuperveniens matrimonio de præſenti illud non diſſolvit, ac nequidem ab obligatione cohabitandi, ac reddendi debitum regulariter liberat. c. 1. & 2. eod. Idem extenditur ad alias graves infirmitates alterutri conjugi ſupervenientes. cit. c. 2. ibi: *Sive mulier lepra fuerit percuſſa, ſeu alia gravi infirmitate detenta.* Difficultatem videtur facere can. *quod propoſuiſti.* 18. XXXII. q. 7. ibi: *Quod propoſuiſti, ſi mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum eſſet, ſi ſic permaneret, ut abſtinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum eſt, ille, qui ſe non poterit continere, nubat magis: non tamen ſubſidii opem ſubtrahat ab illa.* Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Sec. VII. Art. 3. hoc reſponſum Gregorii II. ad S. Bonifacium Germaniæ Apoſtolum explicat de infirmitate & impotentia antecedente matrimonium, at poſt matrimonium detecta, quæ matrimonium antea contractum irritum reddiderat (*a*).

(*a*) *Conf. Ballerin. de Primatu RR. Pontif. c. XV.* §. *X. n.* 41.

§. 116. *De conjugio Servorum* ex Jure ſacro diciditur I. Matrimonia inter ſervos & ancillas nulla-

tenus prohibenda esse; quia *in Christo Jesu neque liber*, neque *servus est a Sacramentis Ecclesiæ removendus (b)*. II. Ecclesia longo tempore toleravit vel approbavit leges Romanas, per quas matrimonium inter servos sine consensu Domini coire & consistere non potuit. c. fin. XXIX. q. 2. ibi: *Ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum.* Postea tamen solo servorum Christianorum consensu etiam invitis Dominis fieri matrimonium, declaratum fuit. c. 1. h. t. III. Ob duram servorum conditionem, quando persona libera contrahit cum persona conditionis servilis, quam ignoravit, matrimonium est nullum, nisi cognita dein servitute facto aut verbo consensum renovet. c. 2. & fin. h. t. Et sic dispar conditio quoad statum liberum aut servilem ad impedimenta matrimonium dirimentia refertur. Est hic unicus error *qualitatis* consensum reddens nullum. §. 40. (c).

(b) *Jure Romano inter marem & feminam servilis conditionis non matrimonium, sed contubernium intercedebat. l. 3. C. De incestis nuptiis. Liberi ex tali contubernio suscepti naturales, non legitimi habebantur. Naturalia tamen cognationis, imo & affinitatis jura in servili etiam copulatione agnoscebantur a Romanis. l. 14. §. 2. & 3. D. de Ritu nuptiar. ibi*: Quoniam in contrahendis matrimoniis naturale jus & pudor inspicitur.

(c) *Henricus Wagnereck in Commentar. ad c. un. de natis ex lib. ventr. animadvertit; etiam hodie servos originarios, sive mancipia tam duris conditionibus vivere, præsertim in Westphalia, Polonia & Bohemia, ut dubitare liceat de valore matrimonii cum errore aut ignorantia ejusmodi conditionis initi. Etsi enim matrimonia invitis & contradicentibus dominis inita apud Catholicos habeantur pro validis, c. 1. h. t. tamen ibidem deciditur:* Debita & consueta servitia non minus debent propriis dominis exhiberi. *Alii autem passim censent, ob ignoratam istiusmodi conditionem improprie servilem*

non

non dirimi matrimonium. Conf. Joann. Kugler de Matr. p. 2. c. 2. §. 2. n. 1109.

§. 117. Si ex conjugibus unus fit liber, alter fervus, partus fequitur ventrem. c. un. de natis ex lib. ventre, nifi contraria fit loci confuetudo. c. 3. de conjug. Serv. l. 24. D. de ftatu hominum. Ex cit. c. 3. deduci poteft idea *de controverfia ftatus;* quæ ad quæftiones præjudiciales refertur. Pontifex ait: *Videtur nobis ratione temporis, & favore libertatis, pro parte viri fecurius judicandum.* Ob eundem favorem Jure etiam Romano liber cenfebatur nafci, qui ex matre aut conceptionis aut partus aut medio tempore libera nafcitur. Princ. Inft. de Ingenuis, ibi: *Quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre eft.*

TITULUS XI.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

TITULUS XII.

DE COGNATIONE LEGALI.

TITULUS XIII.

DE EO, QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUÆ, VEL SPONSÆ.

TITULUS XIV.

DE CONSANGUINITATE ET AFFINITATE.

ARGUMENTUM.

I. Cognationis naturalis idea, & fchema §. 118. *II. intra certos gradus impedit nuptias computatione canonica.* §. 119. *III. Expenditur fingilatim linea recta.* §. 123.

§. 123. IV. & obliqua §. 129. V. Affinitas ceu impedimentum matrimonii secundum jus novum. §. 136. VI. etiam fornicatione contracta. §. 140. VII. Jus vetus affinitatis. §. 141. VIII. Regulae pro decidendis casibus dubiis. ibid. IX. quorum praecipui enumerantur. §. 143. X. Quasi affinitas, seu impedimentum publicae honestatis. §. 147. XI. Cognatio spiritualis. §. 148. XII. Legalis. §. 150.

§. 118. Cognatio est triplex, carnalis, spiritualis, legalis. Posterior utraque ad imitationem prioris adinventa est. Cognatio *carnalis* aut *naturalis* est propinquitas seu vinculum personarum a se vel a communi stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Adnota: I. Propinquitas haec sita est in communione sanguinis, diciturque consanguinitas quasi *sanguinis unitas*. 2. Singuli quidem ab utroque parente communem sanguinem hauriunt. Si autem plures fratres aut sorores spectantur, vel utrumque parentem habent communem, vel patrem tantum, vel solam matrem. Unde fratres & sorores appellantur *germani*, *consanguinei*, *uterini*. Sic etiam ii, qui remotiores sunt a communi stipite, quam frater & soror, per viros, aut feminas cognati esse possunt. 3. Haec propinquitas fundamentum est jurium diversorum circa prohibitionem nuptiarum, haereditates & successiones in feudis & fideicommissis, circa delicta incestus, parricidii, circa testimonium ferendum in judiciis, circa tutelas, quae proximioribus agnatis deferuntur, circa obligationem praestandi alimenta propinquis (*a*). 4. Propinquitas haec oritur casu duplici; *primo* siquae personae a sese immediate aut mediate descendunt. *Secundo* si non a se, sed a communi quodam stipite immediate vel mediate descendunt. Priore casu cognatio exhibetur per lineam rectam: posteriore,

riore, per duas obliquas, quæ in communi ſtipite concurrunt, ſeu angulum efficiunt. 5. Tum in recta, tum obliqua linea propinquitas propior aut remotior eſſe poteſt. Habet ergo cognatio lineam *rectam* aſcendentium & deſcendentium: *obliquam* ſeu transverſam latere junctorum: *ſtipitem*, a quo in linea recta ordo deſcendentium inchoatur: vel in quo juncti a latere conveniunt: habet *gradus* propinquorum. Atque hæc exhibentur per ſchema Tabula I. propoſitum, ſeu per *Arborem conſanguinitatis* (*b*). 6. In hac arbore duo expendenda ſunt, *primo* ordinata ſeries graduum ſine hiatu: *ſecundo* appellationes, quæ propinquis in certa linea, certoque gradu competunt (*c*). Solent autem gradus in linea obliqua exhiberi *quatuor*, ad quos nimirum prohibitio nuptiarum pertinet. 7. Quia autem II. tota hæc propinquitas, eamque exhibens arbor conſanguinitatis in communione ſanguinis fundatur; ſanguis autem æque in licito ac illicito communicatur coitu: ſequitur, ut etiam ad propinquos ex illicito coitu ortos pertineat; ac nullum in conſanguinitate ejusque gradibus ſit diſcrimen inter liberos legitime aut illegitime natos. 8. Diſcrimen tamen fieri ſolet, utrum duæ perſonæ ratione ſanguinis conjunctæ ſint per viros, an per feminas, uti ſi in ſtipite vel gradibus intermediis femina contineatur. Priore caſu dicuntur *agnati;* ejusdemque nominis & ſtemmatis ſunt: poſteriore *cognati* ſpecifice, ut adeo cognatio & genus ſit & ſpecies. l. 10. §. 2. D. de Grad. §. 1. Inſt. de leg. agnat. tut. Atque hæc uno videbantur loco congerenda, ne diſcentium diſtraheretur attentio.

(*a*) *L.* 10. *pr. D. de gradib. & affin. ibi:* Juriſconſultus cognatorum gradus, & Affinium noſſe debet; quia &c.

(*b*) *Ar-*

(*b*) *Arbor consanguinitatis reipsa est graduum descriptio, vel generalis vel adplicata ad hypothesin certæ genealogiæ. Mentionem de illa facit Justinianus §. ult. J. de gradib. cognationum, ibi:* Sed cum magis veritas oculata fide, quam per aures animis hominum infigatur; ideo necessarium duximus, post narrationem graduum, eos etiam præsenti libro inscribi; quatenus possint & auribus & oculorum inspectione adolescentes perfectissimam graduum doctrinam adipisci. *Eadem arbor inserta est Decreto Gratiani caus. XXXIII. q. 5. Auctore Joanne Andrea JCto Bononiensi, addita explicatione ab eodem facta an.* 1347. *quia vero rami arboris utraque ex trunci parte iidem sunt, eosdemque continent gradus; hinc facta quodammodo sectione arbor dimidia instar vexilli exhibetur.*

(*c*) *Justinianus* §. 7. *Inst. de Grad. longe facilius esse ait*, respondere, quoto quisque gradu sit, quam propria cognationis appellatione quemquam denotare.

§. 119. In computatione graduum distingui oportet *primo* inter *Jus canonicum*, quod observatur in matrimoniis contrahendis, adeoque in delictis incestus: & *Jus civile*, quod spectatur in successionibus, aliisque ad judicia secularia pertinentibus. *Secundo* inter *lineam rectam* ascendentium & descendentium, in qua computatio utroque Jure eadem est: & lineam *obliquam*, in qua gradus aliter computantur Jure canonico, aliter Jure civili. *Regula I. In linea recta Jure utroque tot sunt gradus, quot generationes*, seu quod in idem recidit, *tot gradus, quot personæ una dempta.* Titia enim, ejusque filius efficiunt unam generationem, suntque personæ duæ in gradu primo. Nepos adjicit secundam generationem; suntque personæ tres, Titius, filius, nepos in gradu secundo &c. *Regula II.* In linea collaterali Jure canonico fit distinctio inter æqualem & inæqualem. Jure ergo canonico *personæ in linea æquali eo gra-*

gradu distant inter se, quo gradu alterutra distat a communi stipite: in linea inaequali eo gradu distant inter se, quo gradu remotior distat a communi stipite. Regula III. In linea collaterali Jure civili nulla fit distinctio inter aequalem & inaequalem, sed generatim *eo gradu personae distant inter se, quot sunt generationes utraque ex parte numeratae*, sive eo *gradu, quot utraque ex parte sunt personae demto communi stipite*; qui idcirco in figuris aliquando omitti solet. Uti fig. 3. I & K Jure canonico distant gradu quinto: Jure civili gradu decimo. Fig. 1. B & D Jure canonico distant gradu secundo: civili autem tertio. Fig. 2. B & G Jure canonico distant gradu quinto: civili distant gradu sexto. Unde tritum est illud: *Per rectum filum concordant utraque jura, per transversalem superant legalia jura.*

§. 120. Prohibitio nuptiarum sive impedimentum consanguinitatis matrimonium dirimens in linea *recta* semper idem fuit, eritque in posterum; cum ex Jure naturali censeatur provenire, quocunque inter se gradu sint ascendentes & descendentes. In linea obliqua olim extendebatur ad gradum septimum inclusive, postea ad quartum inclusive reductum per Concilium Lateran. IV. c. 8. de consang. & affin. ibi: *Quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.* De impedimento igitur consanguinitatis matrimonium dirimente haec est *Regula I. In linea recta matrimonium dirimitur quovis gradu inter ascendentes & descendentes.* Regula II. *In linea obliqua consanguinitas Jure canonico computata matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive; nec fit discrimen*, utrum personae gradu quarto comprehensae per viros, an feminas cognatae,

gnatœ, aut ex licito vel illicito coitu prognatæ fuerint. §. 118. n. 2. & 7. *Regula III. In linea obliqua si unus contrahentium est extra gradum prohibitum e. g. in quinto; quocunque gradu relate ad communem stipitem sit alter, matrimonium valide contrahitur.* Sic de linea inæquali Gregorius IX. c. 9. de consang. decidit, quod *vir, qui a stipite quarto gradu, & mulier, quæ ex alio latere distat quinto, licite possint matrimonialiter copulari.* Addit Pontifex rationem decidendi: Secundum regulam approbatam, qua dicitur: *Quoto gradu remotior differt a stipite, & a quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem.* Fig. 3. decisio pertinet ad matrimonium inter virum G, & mulierem K. Sensus regulæ est: Quo gradu (nempe quinto) remotior K distat a communi stipite; eodem gradu quinto K distat ab A, C, E, G, per aliam lineam ab eodem stipite descendentibus (*d*).

(*d*) *Ex his resolvitur casus Fig. II. quem rarissimum vocat Gobat agens de cognatione naturali. Gabriel* (*A*) *homo Hispanus filium Gomesium* (*C*) *& filiam Gertrudem* (*B*) *genuit; qui filius propagavit genus usque ad quintam generationem* (*G*), *ita, ut vivente adhuc ejus sorore Gertrude non solum natus fuerit Gorgonius* (*G*) *abnepos Gomesii* (*& Atnepos Gabrielis*) *sed ita adoleverit, ut pubes factus postulaverit in uxorem ipsam Gertrudem sororem sui abavi Gomesii, & filiam sui Atavi Gabrielis; potuitne citra dispensationem concedi ipsi? Et fuisse reipsa concessam, testis est Michael Ferro Manrique Quæst. Vicarial. p. 2. q. 39. ex Regula approbata, uti Gregorius IX. ait cit. c. 9. Dicunt nonnulli, inter personas, quarum una immediate est infra communem stipitem, altera remotior, intercedere respectum paternum, sive parentelam, qua instar parentum & liberorum loco haberi debeant. Sed iste respectus plus fictionis, quam veritatis habet, nec tantus est, ut a generali regula per Concilium Lateranense statuta, & a Gregorio IX. cit. c. 9. ipsoque usu approbata recedi debeat. c. 8. de consang. & affin. ibi:* Prohibitio copulæ conjuga-

jugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cetero non excedat, de qua re infra §. 135. Memorata Gregorii IX. regula narratur etiam in c. 3. eod. cum hac specie facti, quæ contigit sub Cœlestino III. antecessore Innocentii III, sub quo reductio graduum in Concilio Lateran. facta est Cum ergo prohibitio nuptiarum usque ad septimum gradum inclusive adhuc vigeret, Legatus Apostolicæ Sedis loco quodam concessit matrimonia in gradu sexto vel septimo contrahi; quæ concessio erat instar dispensationis, seu privilegii contra jus commune; poteratque sumi strictius, si pars utraque contrahentium esset in sexto aut septimo gradu, vel latius, si modo unus contrahentium esset in sexto aut septimo gradu, etsi alter esset in secundo vel tertio. Quia autem privilegia contra jus commune strictæ interpretationis sunt, Cœlestinus III. approbavit interpretationem strictiorem, latiorem reprobavit, ita, ut separari debuerint matrimonia contracta inter personas, quarum una quidem sexto vel septimo gradu, altera secundo vel tertio essent conjunctæ.

§. 121. Cognita graduum computatione tam canonica, quam civili satis est, nosse, a multis jam seculis canonicam computationem in contrahendis matrimoniis, atque in foro utroque receptam esse. Quando inducta sit hæc differentia utriusque Juris, nondum liquido exploratum est. S. Ambrosius in Epistola 48. ad Paternum usus est computatione civili, dum fratres patrueles ponit in gradu quarto: avunculum & neptem ex sorore in gradu tertio. Prioris casus exemplum est Fig. 4. in D & E. posterioris Fig. 1. in B & D. Quorundam Patrum mentem dubiam reddit varia notio stipitis. Nam S. Isidorus can. *Series* 1. XXXV. q. 5. gradus collateralium ita computat, ut fratrem & sororem sumat pro stipite, seu trunco: nepotem & neptem (F. 3.) C & D collocet in primo gradu: pronepotem & proneptem E & F. in secundo: abnepotem & abneptem G & H. in tertio: atnepotem & atneptem I & K in quarto gra-

du. Ex his patet tamen, quod gradus ex uno tantum latere numerarit Isidorus, quemadmodum canonica regula etiam nunc observat. S. Gregorius M. in Epist. ad Augustinum Anglorum Episcopum data, duorum fratrum liberos in gradu secundo collocat, & a secunda generatione in nuptiis penitus abstinere vult Anglos, quantumvis neophytos. Unde Alexander II. in can. *ad Sedem*. 2. §. 5. XXXV. q. 5. infert, Gregorium canonica graduum computatione usum fuisse. Sed dicunt: Si Gregorius duos fratres, aut fratrem & sororem pro trunco & stipite accepit, uti Isidorus; tum eorum liberi secundum Jus civile, quo generationes seu personæ numerantur ex utraque parte, erunt in gradu secundo. R. Isidorus duos fratres, aut fratrem & sororem sumens pro stipite, gradus numeravit ex una parte tantum: nec constat, quod ad eam stipitis significationem simul adhibita fuerit ratio civilis personas numerandi ex utraque parte. [2]Certe in Jure civili fratres non pro stipite sumuntur, sed ponuntur in gradu secundo. §. 2. Inst. de gradib. cognationum. Ex regula Juris civilis *semper generata persona gradum adjicit*. §. 7. Inst. de Nuptiis. Et fratris sororisque nepos neptisque eodem Jure censentur in gradu quarto. §. 4. Inst. eod. Ergo fingi nequit, Gregorium M., qui Juris civilis haud sane imperitus erat, per secundum gradum fratris sororisque nepotem, neptemque intellexisse (*e*).

(*e*) *Anglis principio conversionis Gregorius interdicto gradu secundo matrimonia concessit in tertio & quarto gradu. Sed hanc indulgentiam noluit extendi ad alias provincias, neque ad ipsos Anglos pro sequentibus temporibus,* postquam firma radice in fide fuerint solidati. *Can.* Quædam lex. 20. *XXXV. q.* 2. *ubi fit mentio de Epistola Felicis Messanensis Episcopi ad Gregorium, & responsio Gregorii ad Felicem Id Responsum tanquam suppostitium impugnant nonnulli; ac Berardus*

in

in Canones Gratiani, agens de Epistolis Gregorii in illo spurias Isidori merces subodorari sibi videtur. Atqui illud responsum recenset Ecgbertus Eboracensis in Excerptis c. 131. Concil. Edit. Mansi Tom. XII. col. 425. qui, ut habet auctor Dictionarii Historici edit. 1782. obiit anno 765. id est, integro ante Isidorum seculo.

§. 122. Quo fundamento & jure nitatur prohibitio nuptiarum pro quovis gradu, difficilior est disputatio, quam utilior. Usum tamen habet binis maxime casibus. Nam *primo* dispensatio locum non habet in gradu, qui jure naturali, aut divino, quod etiam nunc, emortua veteri lege viget, prohibitus est. *Secundo* si infideles conjugati convertuntur ad fidem, separandi sunt pro casu, quo in gradibus Jure naturali & divino vetitis contraxerant: non item, si contra Jus Ecclesiasticum inierant nuptias. Protestantes nonnulli, atque in his Carpzovius de usu arboris consanguinitatis §. XXIV. gradus Levit. C. XVIII. & XX. vetitos ad legem divinam moralem, quæ etiam nunc obligat, pertinere censent. De hac quæstione decidendum est: I. Ecclesia dispensare potest in *nonnullis* impedimentis in Levitico expressis. Concil. Trid. Sess. XXIV. can. 3. de Sacr. Matr. Infers: Non ergo omnia impedimenta, quæ in Levitico exprimuntur, sunt juris naturalis divini. II. Si infideles in secundo, tertio vel ulteriori gradu conjuncti convertuntur ad fidem, post conversionem *libere possunt & licite remanere conjuncti; cum per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.* c. 8. de divort. Hæc sine dubio de secundo, tertio & ulteriore gradu *collaterali* intelligenda sunt. Neque enim facile reperiri poterant infideles, qui in linea recta matrimonia contrahere soliti sunt. De primo gradu *collaterali*, seu de matrimo-

trimonio inter fratrem & fororem, nihil decidit Pontifex; neque etiam ea de re interrogatus fuerat. Unde ex hac Decretali de eo gradu nihil concludi poteft. Recte tamen concluditur, gradum fecundum, tertium, & ulteriorem in linea collaterali nullo Jure divino interdictum effe. Hæ generales funt decifiones: fequitur, ut gradus præcipui fingilatim examinentur.

§. 123. Defignatio in fchemate confanguinitatis, & appellationes referuntur ad Titium vel Titiam, quem alii vocant *Protheum* vel *hominem hypotheticum*, quia in quavis hypothefi vel fingulari cafu ea perfona, de cujus genealogia & cognatione quæritur, in loco Titii vel Titiæ collocanda eft, ac quivis, exempli caufa, fe ipfum collocare in Titii cellula, & cognatos fuos tum in recta, tum obliqua linea inquirere poteft. Computatio graduum in linea recta exhibetur unica relate ad Titium per numeros Romanos; quia in recta linea Jus utrumque confentit: in transverfa linea collateralium gradus relate ad eundem Titium fecundum Jus canonicum indicantur in fuperiore parte cellulæ per notas Romanas; in inferiore fecundum Jus civile per figuras arabicas.

§. 124. Afcendentes Titii in linea recta in fchemate exhibentur ad Abavum: defcendentes usque ad abneptem Titii. Poft abavum fpeciale nomen habent atavus & atavia: dein Tritavus & Tritavia. Similiter in defcendentibus poft abnepotem fequitur atnepos, dein Trinepos. Ulteriores afcendentes generatim vocantur *Majores:* inferiores defcendentes vero *Pofteriores.*

§. 125.

§. 125. In primo ascendentium gradu consistunt personæ duæ, pater & mater Titii. In secundo gradu personæ quatuor, avus paternus & avia paterna, dein avus maternus & avia materna. In tertio gradu personæ octo, quia singulæ personæ priores suum habuerunt & patrem & matrem. In quarto gradu personæ sexdecim; a quarum singulis ad Titium recta linea duci potest.

§. 126. Hæ omnes personæ relate ad Titium *Parentes* vocantur. l. 10. §. 7. D. de gradib. ibi: *Parentes usque ad Tritavum apud Romanos proprio vocabulo nominantur: Ulteriores, qui non habent speciale nomen, Majores.* l. 51. D. de V. S. ibi: *Appellatione Parentis non tantum pater, sed etiam avus & proavus, & deinceps omnes superiores continentur, sed & mater & avia, & proavia.* adde l. 5. §. 2. D. de agnoscendis & alend. liberis vel parent. Imo non solum parentis, sed etiam *Patris* vocabulo avus & proavus significantur. l. 201: D. de V. S. Porro si parentum nomine etiam remotiores in linea recta ascendentes intelliguntur; sequitur, ut nomine *Liberorum* pariter intelligi debeant non tantum proxime geniti, sed etiam inferiores. l. 220. D. eod. ibi: *Liberorum appellatione nepotes & pronepotes, ceterique, qui ex his descendunt, continentur.* Adde l. 148. ibi: *Non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est.* Vicissim de appellatione *filii* deciditur *primo* l. 84. ib. *Filii appellatione omnes liberos intelligimus.* *Secundo* l. 201. ibi: *Justa interpretatione recipiendum est, ut appellatione filii, sicuti filiamfamilias contineri sæpe respondimus; ita & nepos videatur comprehendi.*

§. 127. In linea recta si cujusdam Titii genealogia inquiritur, vel ab eo per continuos gradus ad Parentes & Majores ascendi potest quasi analytice: vel a quodam noto stipite usque ad Titium Synthetice potest descendi usque ad datum Titium. Priore methodo usus est S. Lucas c. III. a Christo per Joseph, cujus filius *putabatur*, ut Evangelista ait, ascendens usque ad Adamum, imo usque ad Deum, Conditorem Adami: alteram rationem tenuit S. Matthæus C. I. ab Abraham descendens usque ad Christum. *Stipitis* denominatio proprie pertinet ad eum, qui communis parens est junctorum ex latere, sive in quo duæ lineæ transversæ concurrunt. Pro stipite illustrium familiarum sumitur aliquando, qui primo celebritatem, nobilitatem, vel principatum est adeptus. Stipes communis omnium hominum est Adamus. *Deus enim fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.* Act. XVII. 26. Eva non genita ex Adamo, sed ex ejus costa formata fuit. Abstrahendo ab hypothesi stipes est limes non actualis, sed *possibilis*, qui pro arbitrio in linea ascendentium assumi potest.

§. 128. Matrimonia in linea recta, quoad *primum* gradum jure naturali, quoad *alios gradus in infinitum* jure saltem positivo repugnare & irrita esse, censent omnes (*f*). Utrum Jus naturæ remotiores etiam gradus excludat, disputant. De qua re egi in Jur. Nat. Sociali §. 179. pag. 367. ubi animadversionem addidi de libidine & stulta excusatione filiarum Lot. Genes. XIX. 31. Lex Mosaica primo generatim vetat, nequis ad proximam sanguinis sui accedat, Levit. XVIII. 6. Deinde in linea recta prohibet nuptias inter patrem & filiam, inter matrem & filium, ib. 7. Inter avum & neptem, proindeque inter

ter aviam & nepotem, v. 10. Hæc animadvertenda erant de linea recta: sequitur obliqua.


(*f*) *Verba Concilii Lat. c. 8. de consang. ut prohibitio nuptiarum quartum consanguinitatis gradum non excedat, minime ad rectam, sed transversam duntaxat lineam referri possunt; uti manifestum est ex subjecta ratione*: Quoniam in ulterioribus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. *In linea recta ea prohibitio ultra quartum gradum non tantum absque omni dispendio facillime potest, sed ob brevem hominum vitam debet fere semper observari.*

§. 129. In linea obliqua primi sunt fratres & sorores. Omnis cognatio collateralium in gradibus ulterioribus a fratribus, vel a sororibus, vel a fratre & sorore incipit. Ob quam fortassis causam quidam Veteres pro stipite sumserunt binos fratres, aut binas sorores, aut fratrem & sororem. Sed uti ipsi fratres, & sorores inter se cognationem non habent, nisi ratione communis parentis, a quo tanquam stipite uterque sanguinem haurit; sic neque descendentes e fratribus & sororibus inter se cognati sunt, nisi ratione ejusdem communis stipitis, ex quo tanquam provenientes rami communem hauriunt succum. Ex eadem ratione Jus Canonicum fratres, & sorores collocat in *primo gradu*. Neque enim inter se sanguine junguntur, neque inter se distant, nisi quatenus junguntur in stipite, vel distant a stipite. Relate autem ad stipitem sunt in gradu primo. Ergo eodem inter se gradu censendi sunt.

§. 130. Jure civili bini fratres, aut binæ sorores, sive frater & soror ponuntur *in secundo gradu;* quia hereditates aut pro numero personarum dividuntur, aut ab una ad aliam personam devol-

vuntur. Inferes: 1. Jure civili non datur in linea obliqua gradus *primus*. 2. Nec in linea obliqua æquali gradus *impar*. Si enim bini fratres ſunt in ſecundo gradu, liberi utriusque erunt in quarto: nepotes utriusque in ſexto, & ita deinceps.

§. 131. Fratres & ſorores, aut Germani ſunt, aut conſanguinei, aut uterini. §. 118. n. 2. Unde explicatum habet caſus l. 10. §. 13. D. de gradib. ibi: *Evenire ſolet in his, qui diverſis parentibus nati ſunt, ut, qui meo fratri frater ſit, meus cognatus non ſit. Pone me fratrem habere ex eodem tantum patre: illum habere ex eadem matre: illi inter ſe fratres ſunt. Mihi alter cognatus non eſt.* Schema eſt hujusmodi.



§. 132. De conjugio inter fratrem & ſororem S. Auguſtinus docet can. unic. XXXV. q. 1. illud conceſſum fuiſſe, *quando, niſi fratres & ſorores ex duobus illis primis* (Adamo, & Eva), *nulli homines erant.* Poſtmodum fuiſſe prohibitum. *Fieri ergo debuit, quando potuit, ut exiſtente copia inde ducerentur uxores, quæ non erant jam ſorores: & non ſolum iſtud ut fieret, nulla neceſſitas eſſet; verum etiam ſi fieret, nefas eſſet.* Hinc vetita ab ipſo Deo matrimonia

monia inter fratrem & sororem in lege Moysis fuerunt Levit. XVIII. 1. etsi soror consanguinea tantum, vel uterina esset. Ibid. & XX. 17. Deut. XXVII. 22. Jure humano tum ecclesiastico tum civili talia matrimonia gravissime prohibita esse atque irrita, dubium non est. De Jure naturali disserui in Institutionibus ejusdem loco supra cit.

§. 133. Liberi proximi fratrum & sororum Jure Canonico consistunt in secundo, civili in quarto gradu, & nati quidem ex binis fratribus *patrueles*: ex binis sororibus *Consobrini*, quasi Consororini, ex fratre & sorore *Amitini* appellantur. §. 4. I. de Grad. Sed nomen Consobrinorum ad quosvis fratrum & sororum proximos liberos communiter adhibetur. Nuptias Consobrinorum prohibuerat Theodosius M. (g). Ejus filii, Honorius & Arcadius, eas concesserunt l. 19. C. de Nuptiis. Justinianus item aperte eas concessit. §. 4. Inst. de Nuptiis. Sed concessio Justiniani iterum improbata est, uti testatur Vinnius in notis ad cit. §. 4. I. de Nuptiis; patetque ex eo, quod Gregorius M. eas ne Anglis quidem Neophytis concesserit. can. 2. §. 5. XXXV. q. 5. ibi: *Experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere.*

(g) *Conf. Jac. Gothofredus in Comment. ad l. 3. Tit. 10. Cod. Theod.* Si nuptiæ ex Rescripto petantur.

§. 134. Post liberos fratrum & sorores sequuntur eorum nepotes ac pronepotes &c. Istorum schema exhibet Fig. 3. ubi comparatio fieri potest 1. inter A & B, duos fratres, vel duas sorores, vel fratrem & sororem; ab his enim omnis cognatio collateralium incipit. 2. Inter A, & descendentes ex fratre aut sorore B. 3. Inter ipsos descendentes ex A & B. Si A & B ponuntur bini fratres, eorumque descendentes

 usque

usque ad I & K pariter fratres; erunt I & K *agnati:* ſecus cognati, ſi in ſuperioribus reperitur aliqua femina. Jura cognationis generatim ſumtæ ſunt *naturalia:* agnationis *civilia*, quoad familiam, nomen & ſtemma, feuda &c. Si A comparatur cum deſcendentibus ex B, & B cum deſcendentibus ex A, tunc A & B aſſumunt diverſa nomina. A eſt frater relate ad B: patruus relate ad D: patruus magnus relate ad F: propatruus relate ad H: abpatruus relate ad I. Similiter diſſeri poteſt de amita, avunculo, matertera, ſi hæc Fig. 3. comparetur cum arbore conſanguinitatis.

§. 135. Hactenus de linea collaterali æquali dictum eſt: lineæ inæqualis ſchema exhibet Fig. 1. ubi B & D Jure canonico ſunt in gradu ſecundo: civili in tertio. Eſt autem B relate ad D patruus, amita, avunculus aut matertera. Lex Moſaica prohibet ducere Amitam & materteram Levit. XVIII. 12. 13. S. Ambroſius in Epiſt. ad Paternum ex paritate rationis & gradus id extendit ad patruum & avunculum. Alii id prorogant ad amitam magnam, materteram magnam &c. Jus civile l. 53. D. de R. N. generatim ſtatuit: *Nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quæ in numero parentum, liberorumve ſunt, ſive proximi ſive ulterioris gradus ſint, usque ad infinitum.* Secundum hanc regulam Juris civilis in linea collaterali non ſolus gradus, ſed præterea reſpectus parentalis ſpectari deberet, idque Proteſtantes paſſim defendunt; & *Parentelam* cenſent, quando una perſona ſtipiti proxima eſt, altera remotior, ceu in Fig. 1. B relate ad D. in Fig. 2. B relate ad G (*h*). At enim Jus canonicum cum Doctoribus Catholicis in collateralibus ſolius gradus rationem habet. Erubeſcimus enim in hac re ſine Canone loqui. Jus civile etiam matrimonium inter pupillam, & tutorem, curatoremque, qui eidem

dem patris loco habetur, interdicit tot. tit. C. de interdicto matrim. inter pupillam. Id quod generali fere consuetudine Germaniæ abolitum est teste Carpzovio de usu arb. conf. §. XXVII. Respectus ille parentalis minuitur pro numero propaginum, & paulatim fictitius evadit. Dein necesse non est, ut de raro contingentibus exceptio & lex specialis fiat. Conf. §. 120. in not.

(*h*) *In Jure canonico vox* Parentela *non ita stricte sumitur, sed latius pro quavis cognatione. can.* 2. §. 3. *XXXV. q.* 5. *& can.* Parentelæ. 4. *ead.*

§. 136. Post consanguinitatem spectanda est *Affinitas*, seu propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, carens omni parentela. Est ergo I. *Propinquitas personarum*, quæ se exerit per jura inter affines, nempe inter virum, & consanguineos mulieris, quam cognovit, & inter mulierem & consanguineos viri, a quo cognita est. Talis propinquitas caret omni parentela, id est, concipi potest, etsi affines in gradu prohibito cognati non sint (*i*). Non enim per affinitatem communicatur idem sanguis; sed quando vir & mulier una caro fiunt, alter ad fines alterius cognationis accedit, nempe vir ad cognationem mulieris, & mulier ad cognationem viri. II. *Affinitas oritur ex carnali copula*, nempe perfecta, per se apta ad generandam prolem; non ergo provenit ex sponsalibus de futuro, aut de præsenti, quamdiu per carnis copulam consummata non sunt. At quemadmodum carnalis copula tum in legitimo matrimonio contingere potest, tum extra illud e. g. in fornicatione: sic affinitas tum ex copula licita, tum illicita oritur; nec discrimen est nisi in gradu, ad quem affinitas utrinque orta extenditur. Hinc de *viro & muliere*, non de *marito* & *uxore* affinitatis notio agit.

(*i*) *Pa-*

(i) *Parentela pro cognatione generatim, saltem intra gradum consanguinitatis prohibitum hic sumitur. Conf. notam §. præc. de* quasi affinitate *agetur infra. Quod de perfecta carnis copula dixi, id ex communi Auctorum sententia addidi. Nam Jacobus Cujacius in c. 3. de Sponf. & c. 7. De eo, qui cognovit. Affinitatem oriri putat, si quoquo modo extra ordinem effusa vi libidinis puella attentetur.*

§. 137. Considerandæ jam sunt *personæ*, inter quas affinitas provenit ex conjunctione viri & mulieris: dein *linea*, & *gradus* affinitatis. I. Vir & mulier per carnalem copulam fiunt una caro, & ob id sunt *principium affinitatis*, non affines inter se. Hinc cum affinitas intra certos gradus matrimonia dirimat, potest sane vir solutus ducere mulierem solutam, quam ante matrimonium carnaliter cognovit. II. Hæc affinitas intercedit inter virum & consanguineos seu cognationem mulieris, & inter mulierem & cognationem viri. III. Ipsi consanguinei viri & mulieris non propterea fiunt affines; quia deest fundamentum, nempe illa carnis copula, ex qua inter priores affinitas oritur. §. 138. IV. Uti & vir & mulier habet, aut habere potest consanguineos in linea recta ascendente, & descendente e. g. ex priore quodam matrimonio, ac in linea collaterali: sic vir fit affinis consanguineis mulieris in linea recta ascendente vel descendente, & in linea collaterali; & mulier fit affinis consanguineis viri in linea recta ascendente vel descendente, & in linea collaterali. V. *Gradus* affinitatis proprii non sunt, sed sumuntur ex consanguinitate, ut eodem modo utrinque computentur: nempe vir fit affinis consanguineis mulieris in eo gradu, in quo sunt consanguinei mulieris; & mulier fit affinis consanguineis viri in eo gradu, in quo sunt consanguinei ipsius viri. Quapropter ad inveniendos præcise gradus opus non est arbore affinitatis; sed concipia-

tur

tur mulier eodem collocata loco, quo hæret vir: & vir eodem collocatus loco, quo hæret mulier; ac tum gradus consanguinitatis relate ad virum denotabunt gradum affinitatis relate ad mulierem: & gradus consanguinitatis relate ad mulierem denotabunt gradum affinitatis relate ad virum (*k*). Schema affinitatis tum propter varias appellationes ex ea ortas, tum ad figuras casuum variorum oculis subjiciendas speciatim exhiberi solet. Vid. Tab. II.

(*k*) *Hinc l.* 4. §. 5. *D. de gradib. & affin. dicitur:* Gradus affinitati nulli sunt. *& l.* 10. *pr. eod.* Jurisconsultus cognatorum gradus & affinium nosse debet. *Nulli sunt gradus; quia in affinitate nullæ sunt generationes: noscendi tamen sunt affinium gradus ex cognatione. Dum enim vir & mulier fiunt una caro, uterque propius accedit ad cognatos alterius propiores, quam ad remotiores. Est affinitas ergo propinquitas ejusdem ordinis seu lineæ, & ejusdem gradus, cujus est cognatio.*

§. 139. Affinitas orta ex matrimonio consummato extenditur Jure novo ad gradus quatuor, ita, ut maritus defuncta uxore non possit ullam ducere feminam, quæ priori uxori in 1. 2. 3. vel 4. gradu consanguinitatis conjuncta est: & uxor defuncto marito non possit ulli viro nubere, qui priori marito in 1. 2. 3. vel 4. consanguinitatis conjunctus est. Ex copula fornicaria proveniens affinitas duos tantum complectitur gradus, uti mox dicam. Quocunque autem modo, licito vel illicito, impedimentum affinitatis matrimonium dirimens inducatur, ejus proprietatis sunt, I. ut sit statutum per modum inhabilitatis, consequenter etiam afficiat ignorantes: II. non admittat Epikiam: III. sit perpetuum, ac duret etiam defuncta altera parte, quacum copula carnalis intercessit: IV. denique ut sit reciprocum, quemadmodum ipsa affinitas reciproca est inter virum, & consanguineas uxoris, inter has & virum (*l*).

(*l*) *Est*

(l) *Est hæc prohibitio Juris positivi Ecclesiastici. Jure naturali, etsi valde indecoræ sint nuptiæ inter affines primi gradus in linea recta, ceu inter novercam & privignum; non tamen videntur plane repugnare naturali legi; quia ejusmodi personæ rationem parentum ac liberorum reipsa non habent sine fictione quadam. S. Paulus I. Cor. V. utique affirmat, incestum, quo privignus novercam sibi jungere tentavit, nec inter gentes reperiri: quia talis conjunctio ethnicis quoque Romanorum legibus damnabatur, uti ostendit Heineccius ad Pandectas l. 32. Tit. 2. de Ritu Nupt. Sed non omne, quod ab Ethnicis hoc in genere observatum fuit, stricte ad leges naturales referri potest; cum iidem* Decori *quoque rationem habuerint. Conf. Jus Nat. Soc. §. 179. Lex Mosaica prohibet commercium carnale privigni cum noverca Lev. XVIII. 8. item XX. 11. Deut XXVII. 20. Vitrici cum privigna, item cum privigni vel privignæ filia. Lev. XVIII. 17. Generi cum socru Lev. XX. 14 Deut. XXVII. 23. Soceri cum nuru Lev. XVIII. 15. Leviri cum uxore fratris. ibid. 16. Exceptio hoc casu habetur. Deut. XXV. 5. seq. Matth. XXII. 24. Nepotis ex fratre cum uxore patrui. Levit. XVIII. 14. Uti autem carnale commercium inter novercam & privignum lege veteri prohibitum erat; sic maxime culpandus habebatur concubitus cum secundaria conjuge parentis. Exemplum de Ruben & Bala extat Genes. XXXV. 22. & XLIX. 4. Hæc propria erant hujus loci: evadent autem magis perspicua explicatis affinium appellationibus.*

§. 140. Ad affinitatem ex illicito concubitu ortam referri etiam debet Titulus 13. hujus libri: *De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ.* qui titulus ob paritatem rationis ex principiis de affinitate intelligi etiam debet *de ea, quæ cognovit consanguineum mariti sui, vel sponsi.* De hac affinitate ex illicito concubitu orta decidendum est: I. Ea extenditur ad duos primos gradus, non ultra. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 4. de ref. matr. Si Cajus & Berta fornicati sunt, inire inter se quidem matrimonium possunt; sed Cajus non potest ducere feminam, quæ in primo vel secundo gradu consanguinea est Bertæ: nec

nec Berta alteri viro nubere potest, qui in primo vel secundo gradu consanguineus est Caji. II. Qui post sponsalia de futuro cognoscit consanguineam sponsæ in primo vel secundo gradu, contrahit affinitatem cum sponsa, quæ executioni priorum sponsalium, ac matrimonio valide contrahendo obstat. c. 8. & 9. cit. tit. Hinc affinitas dicitur *retro agere*. III. Si post contractum jam inter sponsos matrimonium talis affinitas ex fornicatione præcedente proveniens objicitur, adcuratissima ejus probatio requiritur, ut matrimonium declaretur nullum. c. 3. & 5. eod. IV. Si maritus flagitium committit cum consanguinea uxoris in primo vel secundo gradu; vel uxor cum consanguineo mariti in gradu primo vel secundo: dici quidem potest, eos fieri affines ex incestuosa & adulterina copula; matrimonium tamen præcedens non rumpitur. c. 6. & 9. eod. Eum tamen effectum habet talis copula, ut pars incestuosa non possit petere debitum conjugale, reddere tamen innocenti teneatur. c. 1. eod. V. Si crimen innotesceret parti innocenti, ea sufficientem causam haberet abstinendi a consortio nocentis; quod SS. Canones suadent, non tamen sub obligatione præcipiunt. c. 10. & 11. eod. (*m*).

(*m*) *Multi docent, a pœna non petendi debitum excusare ignorantiam non solum facti, sed etiam juris. Canonem, qui huic sententiæ expresse faveret, non memini me legere. Animadverte præterea, me nominasse primum & secundum gradum consanguineorum mariti vel uxoris, quibuscum incestus committitur. Sicut enim impedimentum non contrahendi cum affine ex copula illicita ortum non excedit primum & secundum gradum; ita etiam hæc pœna non petendi debitum a conjuge affine: incestum tamen præter adulterium committeret uxor vel maritus, qui alterius consanguineam in tertio vel quarto gradu carnaliter cognosceret.*

§. 141.

§. 141. Actum est de jure novo affinitatis matrimonium dirimentis. Olim prohibitiones extabant *de conjugio in secundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris.* Can. 1. seq. XXXV. q. 10. Hæc abolita sunt in Concilio Lat. IV. sub Innocentio III. uti patet ex c. 8. de consf. & affin. necessario tamen intelligi debent ad stabiliendas certas regulas de novo affinitatis jure, & decidendos casus dubios, qui emergunt magno numero. Secundum ac tertium affinitatis genus exhibetur in Schemate affinitatis Fig. 1. Sempronius A per nuptias filii sui B cum Caja C, hanc attingit primo affinitatis genere. Mortuo B, dum Caja vidua conjungitur cum Titio D, Sempronius eidem D fit affinis in secundo genere, ac post mortem Cajæ Titio D matrimonium ineunte ac consummante cum uxore E, huic affinis fit in tertio genere. Hinc vulgara erat apud Veteres regula: 1. Tot sunt affinitatis genera, quot matrimonia eundem affinem attingunt. Fig. 2. exhibet casum *de sobole ex secundis nuptiis suscepta cognationi viri (vel mulieris) non copulanda prioris.* Sit cognatio A, B, C. nempe A pater, B filius junior, C filius senior, qui conjungitur cum uxore D. Hanc mortuo marito C in matrimonium ducit vir E, & ex ea suscipit sobolem F. Jure veteri soboles F ex secundis suscepta nuptiis non poterat matrimonio jungi cum B fratre, adeoque cognato viri prioris: jure novo potest. Tres igitur regulæ Jure novo statui possunt, quæ olim generatim non obtinebant. I. Per carnalem copulam solus vir, & sola mulier accedunt alter ad alterius cognationem: non autem eorum consanguinei ad eandem una accedunt. Mulier D per copulam cum C accessit ad cognationem A & B.; ejus soboles F ad cognationem A & B non accessit. II. Quæ personæ co-

pulam

pulam nunqnam habuerunt, certe affines non sunt; deest enim fundamentum affinitatis. Sic in eodem exemplo concipi potest, nec virum B, nec sobolem femineam F unquam exercuisse carnis copulam. III. Affinitas, quæ concipi non potest, nisi plura ponantur matrimonia, nulla est hodierno jure. Soboles F affinis dici non potest, nisi ponatur primo matrimonium inter D & C, dein matrimonium inter D & E. In priore exemplo concipi non potest affinitas inter A & E, nisi primo ponatur matrimonium inter B & C, dein matrimonium inter C & D, demum matrimonium inter D & E. Unde per tria matrimonia tertium emergit affinitatis genus inter A & E.

§. 142. Ut *appellationes* ex affinitate provenientes recte arripiantur, sciendum: 1. Lineæ transversæ inter duas personas, e. g. Cajum & Cajam, aut curvæ alteram cum altera connectentes denotant earum conjunctionem carnalem. 2. Lineæ ab una ad aliam deorsum ductæ significant descensum carnalem unius ex alia, uti in arbore consanguinitatis. 3. Uti pro gradu affinitatis investigando mulier in loco viri, vir in loco mulieris collocari debet §. 138. n. V.: sic idem debet fieri pro appellationibus recte capiendis. His prænotatis, si Caja ponatur in eadem cellula, in qua est Cajus; & Cajus in eadem, in qua est Caja, proveniunt sequentes appellationes:

I. *Pro linea recta ascendentium* Cajo patrem & matrem Caji appellat *Socerum* & *Socrum*: Avum & Aviam Caji appellat *Prosocerum* & *Prosocrum*. Ipsa autem a patre & matre Caji appellatur *Nurus*: ab Avo & Avia Caji *Pronurus*. Similiter Cajus patrem & matrem Cajæ appellat *Socerum* & *Socrum*: Avum & Aviam Cajæ appellat *Prosocerum* & *Prosocrum*. Ipse

autem a patre & matre Cajæ appellatur *Gener* : ab Avo & Avia Cajæ *Progener*. l. 4. §. 6. D. de gradib. & affin. (*n*).

II. *Pro linea recta descendentium.* Filius & filia Caji, ex priore matrimonio nati, respectu Cajæ sunt *Privignus* & *Privigna*: & Caja relate ad eos *Noverca*. Similiter filius & filia Cajæ, ex priore matrimonio nati, relate ad Cajum sunt *Privignus* & *Privigna*: & Cajus relate ad ipsos *Vitricus*. Sic idem dicendum est de *Proprivigno* & *Proprivigna*. l. 4. §. 4. D. de gradib.

III. *Pro linea obliqua collateralium.* Frater mariti appellatur *Levir*; soror mariti *Glos*. Idem passim usurpatur de fratre & sorore uxoris. Quemadmodum vero Caji mariti frater & soror Cajum appellant fratrem; sic uxorem fratris Caji vocant *Fratriam*, utpote quæ cum Cajo una caro effecta est: & quemadmodum frater & soror Cajæ Cajam appellant sororem; sic ejus maritum vocant *Sororium*. Duorum fratrum uxores *Janitrices* dicuntur (cit. l. 4. §. 6.), & duarum sororum mariti *Congeneri*.

(*n*) *Hæ appellationes traducuntur etiam ad casum sponsalium. l. 6. §. 1. D. de Gradib. ibi*: Generi & nurus appellatione sponsus quoque & sponsa continetur: item soceri & socrus appellatione sponsorum parentes contineri videntur. *Ceterum loco nominis Prosocer & Prosocrus simpliciter adhibetur vox* Socer *&* Socrus, *& loco Pronurus vox* Nurus. *l.* 14. §. 4. *D. de R. N. & l.* 6. *pr. D. de Grad.*

§. 143. Resolutio casuum dubiorum, in quibus obstare matrimonio contrahendo videtur affinitas, etsi non obstet revera, pendet ex dictis, & maxime ex regulis §. 141. constitutis. Sint F. 3. ex familia A duo Fratres B & C.; & ex familia D duæ sorores E & F.; aut ponantur ex una cognatione frater & soror,

ex alia itidem frater & soror. Dico: Si nulla consanguinitas obstat, singuli fratres unius familiæ ducere possunt singulas sorores alterius, adeoque valet matrimonium inter B & E, inter C & F. Dum enim B jungitur cum E, B accedit ad cognationem D; sed consanguinei ipsius B non accedunt ad cognationem D: & cognatio D per matrimonium inter B & E accedit ad B; sed non accedit ad consanguineos ipsius B. §. 141. Reg. I. & II. Per has nuptias bini fratres evadunt *Congeneri*, & binæ sorores *Janitrices*. Inferes: Bini fratres unius familiæ ducere possunt duas consobrinas alterius, ceu F. 4. inter C & G, & inter B & H. Græci quidam aliter olim senserunt (*o*).

(*o*) *Conf. Cl. Zech de Imped. diriment.* §. 330. *Positis enim nuptiis inter C & G, ajebant Græci, alias nuptias inter B & H esse prohibitas; cum istæ personæ sint in gradu sexto, qui inter prohibitos olim fuerat. Nam secundum computum Juris civilis duæ consobrinæ G, & H sunt in gradu quarto: duo fratres B & C. In gradu quarto; unde ex utrisque conflatur gradus sextus. Sed totum hoc abhorret a latina, receptaque apud nos regula, nec usum habet, nisi ad intelligendos veteres Scriptores.*

§. 144. *Duo Comprivigni possunt inter se matrimonium contrahere.* F. 5. sit pater viduus A, ejus filius C; & ex alia familia mater vidua B, ejus filia D. Erunt C & D Comprivigni, qui valide contrahent inter se. Decisio etiam sic exprimi potest: *Pater & filius ducere possunt matrem & filiam alterius cognationis*; item *pater sponsi ducere potest matrem sponsæ*. Id aperte decisum est c. *quod super.* 5. de conf. & affinit (*p*). Unde etiam fieri potest, ut F. 6. pater A ducat filiam D viduæ B; & patris filius C viduam B matrem filiæ D. Hoc casu per nuptias inter A & D, mulier D fit noverca filii C: qui si dein ducat viduam B, dicet, se ducere ma-

trem ſuæ novercæ. Si A & B ponantur duæ viduæ; earum filii C & D; dico: *Ex duabus viduis poteſt altera alterius filio ex priore matrimonio nubere.* Ac tum ſi B pariat filium ex C; A dicet: Hic filius, ex ſecundis nuptiis mulieris B ſuſceptus, eſt filius, filii mei, & frater mariti mei. Nam ille filius, ex ſecundis nuptiis ſuſceptus, eſt filius filii C, & frater mariti D; cum uterque habeat communem matrem B.

(p) *Non tantum fieri poteſt, ut pater & filius ducat matrem & filiam; ſed etiam, ut pater & bini filii ducant matrem & duas filias ſinguli ſingulas diverſarum cognationum. Caſus exhibetur F. 3. & recenſetur a Gobat de affinitate his verbis: „ Quinctio perhoneſtæ inter ſuos familiæ, facultatumque, extinguitur uxor; ſecundum cujus exequias adjecit animum ad honeſtam viduam, matrem duarum filiarum jam nubilium, parens ipſe etiam duorum filiorum vix dum pubertatem egreſſorum. Ut vero omnes facultates illius viduæ non habentis filios transferret in domum ſuam, ita gnaviter rem egit, ut conciliaverit matrimonium inter ſuos filios, filiasque illius viduæ, quam & ſibi deſponſavit; adeoque uno eodemque die duxit ipſe matrem, uterque filius ejus ſuaſu utramque filiam.“*

§. 145. *Viduus, qui defuncti mariti cujusdam ſororem in matrimonio habuit, poteſt ducere relictam hujus mariti.* F. 7. Sint ex cognatione ſeu patre A geniti filius C, qui in matrimonium ducit mulierem E; & filia B, quæ nubit viro D. Fratre & ſorore C & B mortuis, poteſt viduus D, qui ſororem defuncti mariti C in matrimonio habuit, ducere ejus relictam E. Nulla enim inter D & E eſt affinitas, niſi ſecundi generis, quæ concipi non poteſt orta, niſi ex duplici matrimonio inter C & E, & inter B & D. §. 141. n. III. Hic caſus his etiam verbis ſolet exprimi: *Maritus ſororis ducere poteſt uxorem fratris.* Et: *Superſtites conjuges fratris & ſororis demortuorum poſſunt copulari matrimonio.*

§. 146.

§. 146. *Vitricus ducere potest in matrimonium eam, quæ sui privigni jam defuncti uxor erat.* F. 8. Sit B vidua, secundo nupta viro A, & ex priore matrimonio habens filium C, relate ad A privignum, qui ponitur matrimonium iniisse cum D. Defunctis B, ejusque filio C, valebit matrimonium inter A & D, si nulla alia obstet causa, nisi dictæ nuptiæ (*q*). Si B & C ponatur pater & filia, ex priore suscepta matrimonio & nupta viro D; defunctis B & C dico: *Noverca A nubere potest ei, qui suæ privignæ jam defunctæ maritus erat; sive viduus (D) ducere potest novercam suæ uxoris defunctæ* (r). Nam *primo* affinitas, quæ objicitur, inter vitricum A, & privigni uxorem D est secundi generis; quia ea concipi non potest, nisi ex duplici orta matrimonio, inter A & B, & inter C & D. §. 141. n. III. *Secundo* respectus paternus inter A & D, ob quem Vitricus A, sicut privignum C appellavit filium, sic ejus uxorem antea dixit filiam, sola nititur consuetudine loquendi, & magis in fictione, quam natura fundatur. *Tertio* Jus civile Romanum, quod tales nuptias aperte prohibet l. *uxorem*. 15. D. de R. N. cedit hac in materia Juri Canonico, quod ob Decretum Concilii Lat. c 8. de cons. & affin. Secundum affinitatis genus pro abrogato habet.

(*q*) *Concipi potest casus, quo matrimonio inter vitricum & relictam uxorem privigni, obstat consanguinitas. Sint enim vidua B & mulier D in quarto gradu consanguineæ; erit viduæ B filius C in quinto, adeoque valide ducet mulierem D. At quia Vitricus A per conjunctionem carnalem cum vidua B eodem gradu affinis fit cognationi viduæ B, quo hæc est consanguinea eidem cognationi, erit etiam in gradu quarto affinis mulieri D, eamque ducere non poterit.*

(*r*) *Hic casus propositus fuit S. Congregationi Concilii in una Bojanensi Matrimonii die* 8. *Jun* 1720. *& iterum die* 3. *Augusti eod. an. ac decisus die* 8. *Martii* 1721.

 Thesaur.

Thesaur. Resolutionum S. Congr. Concil. T. I. pag. 313 & 338. *Tom. II. p.* 22. *Conf. Bened. XIV. de Syn. l.* 7. *c.* 39.

§. 147. Exposita cognatione naturali, & affinitate, quæ ipsa quoque in natura fundamentum habet, & in servili etiam contubernio spectabatur a Romanis l. 14. §. 3. D. de R. N. Addendæ sunt aliæ species ad earum similitudinem introductæ, nempe *quasi affinitas*, *cognatio legalis*, & *spiritualis*. Quæ ex Jure civili appellari solet quasi affinitas (§. 9. I. de Nupt. l. 12. §. 1. 2. 3. & l. 14. in fin. D. de R. N.) ea in Jure sacro appellatur *Justitia publicæ honestatis*, quæ tanquam matrimonii impedimentum dirimens provenit I. ex *sponsalibus de futuro*, absolute & cum persona determinata contractis, sed validis tantum, & ad primum duntaxat gradum inter consanguineos sponsi & sponsæ, ita, ut, dissolutis morte, mutuo consensu aut quacunque ex causa sponsalibus, sponsus non possit in matrimonium ducere matrem, filiam vel sororem prioris sponsæ: nec sponsa nubere possit patri, filio, vel fratri prioris sponsi. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 3. de ref. matr. Jus antiquum etiam invalidis sponsalibus (dummodo non fuissent nulla ex defectu consensus) impedimentum publicæ honestatis alligaverat. c. un. in 6. de sponsal. II. Ex *sponsalibus de præsenti*, ante conjunctionem carnalem, etsi invalida fuerint (modo non fuerint nulla ex defectu consensus), & quidem ad quartum usque gradum; nulla enim in his a Concilio Trid. l. c. restrictio facta est: servatur igitur jus antiquum. can. 11. 12. 14. 15. XXVII. q. 2. c. 3. & 8. de Sponsf. c. un. eod. in 6. Hoc impedimentum non *agit retro*, uti vera affinitas §. 140. n. II.; id est, nihil operatur, si sponsalibus vel matrimonio jam contracto supervenit. cit. c. un. in 6. Introducta est publica honestas exemplo

veræ

veræ affinitatis, & ex hac gradus quartus in sponsalibus de præsenti definitur. Indecens enim visum Conditoribus utriusque Juris, ut quis coeat in matrimonium cum illa, cum cujus proxima consanguinea conjunctus fuit animo per sponsalia. Distingui tamen debet publica honestas ab affinitate. Ex sponsalibus de futuro, ac de præsenti sine conjunctione carnali provenit publica honestas sine affinitate: ex conjunctione carnis sine sponsalibus affinitas oritur sine publica honestate: quando ad sponsalia carnalis conjunctio accedit, concurrit utraque (*s*).

(*s*) *Jure Romano post divortium quasi affinitas relinquebatur. Hoc non aliter intelligi potest, nisi ut dissoluto ob detectum impedimentum matrimonio tanquam invalido, tamen publica honestas censeatur remanere.*

§. 148. Personæ, per Baptismum tanquam regenerationem, & per Confirmationem conjunctæ, speciali reverentiæ & nexus vinculo devinciuntur. Unde ad similitudinem generationis naturalis introducta est *Cognatio Spiritualis*, quæ est propinguitas personarum, ex collatione & susceptione Sacramentorum Baptismi & Confirmationis resultans: ac matrimonium contrahendum dirimens inter Baptizantem, Confirmantem & Patrinos ex una, ac inter Baptizatum, Confirmatum, ejusque patrem ac matrem naturalem ex altera parte. Ultra has personas, quarum priores velut *active* se habent, posteriores *passive*, jure novo Concilii Tridentini non extenditur hoc impedimentum. Sess XXIV. c. 2. de ref. Neque afficit personas ex una tantum parte consistentes, ceu Patrinum & matrinam. Imo si ipse pater vel mater proprium filium de sacro fonte susceperint, Pontifex c. 2. de cognat. spir. decidit, eos ob hoc non esse separandos, & ad continentiam servandam adstringendos. Ibi: *Sive ex igno-*

rantia ſive ex malitia id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi, nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci. Quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari vel dolus.

§. 149. De cognatione ſpirituali præterea animadverte: I. SS. Canones diſcrimen non faciunt quoad cognationem contrahendam inter Baptiſmum ſolemnem, aut privatum, in caſu etiam neceſſitatis collatum, modo patrinus infantem baptizandum teneat non mere materialiter, ſed cum intentione obeundi munus patrini. Nam II. hæc intentio ad ſubeundam cognationem neceſſaria eſt, ita, ut, qui per procuratorem id munus ſuſtinet, ipſe contrahat cognationem, non procurator, & ſi procurator nomine infantis, qui eam intentionem habere non poteſt, ageret, nec ipſe infans patrinus cognationem contrahat. III. Opus eſt, ut patrinus ex Baptiſmo ſuſcipiens ipſe ſit baptizatus, & ſuſcipiens ex Confirmatione ſit confirmatus (*t*). IV. Patrini autem, vel matrinæ, quæ levant prolem ex Baptiſmo, non debent aſſumi plures, ſed unus vel una. Can. 101. diſt. 4. de conſecrat. vel ad ſummam unus & una, ut ait Concilium Trid. l. c. Unde communitas integra eligi in patrinum non debet, aut ſi id fiat, unus juſſu communitatis, ſuo tamen nomine, non ut procurator, id munus ſuſtineat, oportet.

(*t*) *Pignatelli T. I. Conſult.* 10. *Ægydius Coninck de Sacr. Matr. diſp.* 32. *n.* 27. *cum aliis decidit, Petrum invalide ducere Paulam, cujus adhuc infidelis prolem de Baptiſmo vel Confirmatione ſuſcepit. Etſi enim inter eos non naſcatur hæc cognatio, quando alter eſt infidelis; mox tamen oritur, quamprimum ad fidem convertitur.*

§. 150.

§. 150. *Cognatio Legalis* ex Jure civili assumpta est ab Ecclesia ad honestatem matrimoniorum tuendam (*u*). Provenit ea ex adoptione perfecta, seu *arrogatione*, quæ est actus legitimus, quo paterfamilias, seu homo sui juris auctoritate, vel rescripto Principis ita assumitur in filium vel nepotem, ut transeat in potestatem & familiam adoptantis, ejusque etiam in testamento heres necessarius efficiatur, non minus ac filius naturalis simul ac legitimus (*x*). Impedimentum cognationis legalis matrimonium dirimens provenit triplici modo: I. *In linea recta per modum Paternitatis*, quam adoptans contrahit cum filia adoptata, vel descendentibus ex filio adoptato, in istius potestate existentibus; consequenter non oritur cum descendentibus ex filia adoptata, utpote quæ descendentes suos in potestate non habet. Hæc Paternitas impedimentum est perpetuum, id est, durat etiam dissoluta adoptione. l. 55. pr. D. de R. N. II. Ex arrogatione provenit *affinitas legalis* inter adoptantem & uxorem adoptati, tanquam nurum, & inter adoptatum & uxorem adoptantis, tanquam novercam; estque hæc affinitas etiam perpetua, post emancipationem permanens. l. 14. pr. & §. 1. D. eod. III. *Quasi in linea transversa, & ad modum fraternitatis* adoptatus contrahit cognationem cum liberis naturalibus & legitimis adóptantis, in ejus patria potestate constitutis. Hæc fraternitas & impedimentum inde proveniens cessat adoptione soluta per emancipationem, qua adoptivus quasi extraneus efficitur.

(*u*) *Can.* 1. *XXX. q.* 3. *c. un. de cognat. leg. Unde S. Thomas in IV. dist.* 42. *q* 2. *a.* 2. *ad* 4. *de hoc impedimento ait*: Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Auctoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicit.

 (*x*) *Ad-*

(x) *Adoptio in genere est legitima alicujus in locum filii aut nepotis assumtio pr. J. de adopt. Ea dividitur in arrogationem, & adoptionem specifice vel strictius sumtam. Per illam homo sui juris, & auctoritate summi Principis: per hanc filiusfamilias confirmatione magistratus adsciscitur. Utraque differt ab* Unione prolium, *quæ est pactum, quo liberi diversi matrimonii, causa cognita, & consensu propinquorum ex parte prædefuncti conjugis, aut aliorum fide dignorum ceu tutorum & curatorum ratione successionis sibi exæquantur, ita, ut liberi prioris matrimonii vitrico aut novercæ præmortuæ perinde succedant, ac liberi ex his geniti per secundas nuptias.*

Titulus XV.

De Frigidis, et Maleficiatis, et impotentia coeundi.

Argumentum.

I. Impotentia antecedens & perpetua matrimonium jure nat. dirimit. §. 151. II. Causa & judicium de impotentia magnis difficultatibus subjacet: quid præsumendum & agendum in dubio? §. 153.

§. 151. De *impotentia coeundi* multiplex traditur differentia, ac divisio. Sunt autem duo præcipue attendenda. I. Ut impotentia ad actus conjugales generationi prolis inservientes, seu impotentia coeundi distinguatur ab impotentia generandi, sive *a sterilitate*. Illa sæpe obest valori matrimonii, hæc nunquam (*a*). II. Ut in primis quæratur, utrum impotentia coeundi sit *antecedens* matrimonii contractum. Nam quæ postea supervenit, non dirimit matrimonium valide contractum: dein utrum sit *perpetua*, quæ per naturalia aut spiritualia reme-

remedia absque miraculo, aut absque mortis periculo tolli non possit.

(*a*) *Dubium non est, quin veræ conjuges, non obstante longa sterilitate, fuerint* Sara *Gen. XI.* 30. Rebecca *ib. XXV.* 21. Rachel *ib. XXIX.* 32. Uxor Manue *Jud. XIII.* 2. Anna *uxor Elcanæ. 1. Reg. I.* 2. *Elisabeth. Luc. I.*

§. 152. Impotentia coeundi antecedens & perpetua jure naturali dirimit matrimonium contrahendum. Obest enim fini intrinseco matrimonii, nempe generationi prolis. Conf. §. 2. & §. 95. *Quamvis enim* (inquit S. Thomas in IV. Dist. 34. q. un. art. 2. ad 1.) *actus carnalis copulæ non sit de essentia matrimonii; potentia tamen ad hoc est de ejus essentia.* Hoc jus naturale, quo impotentia matrimonium dirimit, aperte supponitur, & declaratur tot. hoc tit. præsertim c. 2. 3. 5. 6. Nec interest *primo*, utrum hæc impotentia ex parte viri, an mulieris versetur. *Secundo* utrum sit *naturalis* ex vitio congenito, an *accidentalis* casu, morbo, hominum facto inducta. *Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus.* Matth. XIX. 12. (*b*). *Tertio* utrum hæc impotentia sit *absoluta* ex parte viri quoad omnes feminas: ex parte feminæ, quoad omnes viros; an *respectiva* relate ad istos conjuges. Satis ergo est ad declarandam nullitatem matrimonii, si probatur impotentia antecedens & perpetua, cujuscunque generis sit.

(*b*) *Huc pertinent celebres Literæ Sixti V. an.* 1587. *die* 27. *Jun. datæ ad Episcopum Novariensem in regnis Hispaniarum S. Sedis Nuntium, quæ incipiunt:* Cum frequenter, *ibi:* Fraternitati tuæ per præsentes committimus & mandamus, ut conjugia per dictos & alios quoscunque eunuchos & spadones utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus defectum prædictum

dictum sive ignorantibus, sive etiam scientibus, contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocunque contrahenda inhabiles Auctoritate Nostra declares; & tam locorum Ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cetero fieri quoquo modo permittant, interdicas: quam eos etiam, qui sic de facto matrimonia contraxerint, separari cures, & matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita & invalida esse decernas. *Ibid. generatim deciditur in hunc modum*: Secundum Canonum sanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt, & impotentes, iidem minime apti ad matrimonium contrahendum reperiuntur. *Ceterum cur reges Orientis inter ministeria sua potissimum Spadones adsciscere amaverint, tradit Xenophon Cyropæd. l.* 7. *Alii varias addunt rationes, ut reges eo minore cum invidia in bona ipsorum succederent, cum liberis carerent: ut toti ex solo rege penderent; cum neque liberos, neque cognatos habeant, quibus eorum animi devincti esse possent: ut in regionibus iis, in quibus uxores plures una ducere erat concessum, factis magno numero eunuchis, aliis viris daretur copia plures ducendi; cum de cetero natura parem fere mulierum ac virorum numerum suppeditet. Alii jure belli eunuchos primum introductos autumant, ut Victor iis, quos occidere poterat, radicem propriorum affectuum ac necessitudinum adimeret, eoque securius custodiam rerum suarum illis committeret. Deut. XXIII.* 1. *præcipitur*: Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis & abscisso veretro Ecclesiam Domini. *Philo testatur, istiusmodi homines locis Deo dicatis & atrii aditu fuisse exclusos: alii ad magistratus & dignitates non admittendos censent. Enimvero fuit hæc veterum opinio, eunuchos aliis longe crudeliores esse, & in India commune est dictum, bruta animalia castrata ferociam exuere, sed homines exsectos plerumque longe deteriores, superbioresque, & magis intolerabiles fieri.*

§. 153. Causa & judicium de impotentia magnis difficultatibus subjacet, eo etiam ex capite, ut inquit Pontifex c. 6. in fin. *cum finale judicium pendeat ex futuro.* Ac primo, si de matrimonio contrahen-

trahendo agitur, dubitans, an ſit potens, nec ne, illicite contrahit; quia decipit in re valde gravi alteram partem, ut inquit Gobat de impotentia n. 427. Si contracto jam matrimonio oritur quæſtio, diſcuti inprimis ex allegatis debet, utrum impotentia præceſſerit matrimonium, an ſupervenerit. Si ea naturalis ſit & intrinſeca, ex corporis & naturæ vitio proveniens, præſumitur præceſſiſſe; quod enim a natura ineſt, ſemper adfuiſſe præſumitur. Si vero accidentalis ſit & extrinſeca, ac de ea alter conjux ſat diu poſt contractum matrimonium conqueri incipit, præſumtio eſt, eam contracto jam matrimonio ſuperveniſſe. c. 1. h. t. ibi: *Si enim reclamare voluit, cur tamdiu tacuit? Cito enim & prævio tempore ſcire potuit, ſi ſecum coire potuiſſet.*

§. 154. Non ſufficit ad declarandam matrimonii nullitatem, ſi impotentia ſit antecedens, uti contingit in iis, qui cum pubertate legali naturalem necdum nacti ſunt, aut qui natura & lege impuberes contraxerunt ex diſpenſatione. §. 53. Verum opus eſt, ut judicetur *perpetua*; temporalis enim matrimonium non dirimit. c. 6. In dubio, perpetuane ſit, an temporalis, locum habet celeberrima conſtitutio Cæleſtini III. c. *laudabilem*. 5. ibi: *Requiſiviſti, quantum temporis indulgendum ſit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ conjugalis? Nos vero præſenti conſultatione ſentimus, ut a tempore celebrati conjugii, ſi frigiditas prius probari non poſſit, cohabitent per triennium* (c). Conditio interjecta: *Si frigiditas prius probari non poſſit*, oſtendit triennio opus non eſſe, quando ſigna impotentiæ non dubia & præſumtiva ſunt, ſed neceſſaria, aut veriſimiliter evidentia. Saltem Judicis eſt, tempus probationis moderari.

(c) *Novell. Juſtiniani* 22. *de Nuptiis. c.* 6.

§. 155.

dictum five ignorantibus, five etiam fcientibus, contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocunque contrahenda inhabiles Auctoritate Noftra declares; & tam locorum Ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cetero fieri quoquo modo permittant, interdicas: quam eos etiam, qui fic de facto matrimonia contraxerint, feparari cures, & matrimonia ipfa fic de facto contracta, nulla, irrita & invalida effe decernas. *Ibid. generatim deciditur in hunc modum*: Secundum Canonum fanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ funt, & impotentes, iidem minime apti ad matrimonium contrahendum reperiuntur. *Ceterum cur reges Orientis inter minifteria fua potiffimum Spadones adfcifcere amaverint, tradit Xenophon Cyropæd. l. 7. Alii varias addunt rationes, ut reges eo minore cum invidia in bona ipforum fuccederent, cum liberis carerent: ut toti ex folo rege penderent; cum neque liberos, neque cognatos habeant, quibus eorum animi devincti effe poffent: ut in regionibus iis, in quibus uxores plures una ducere erat conceffum, factis magno numero eunuchis, aliis viris daretur copia plures ducendi; cum de cetero natura parem fere mulierum ac virorum numerum fuppeditet. Alii jure belli eunuchos primum introductos autumant, ut Victor iis, quos occidere poterat, radicem propriorum affectuum ac neceffitudinum adimeret, eoque fecurius cuftodiam rerum fuarum illis committeret. Deut. XXIII. 1. præcipitur*: Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis tefticulis & abfciffo veretro Ecclefiam Domini. *Philo teftatur, iftiusmodi homines locis Deo dicatis & atrii aditu fuiffe exclufos: alii ad magiftratus & dignitates non admittendos cenfent. Enimvero fuit hæc veterum opinio, eunuchos aliis longe crudeliores effe, & in India commune eft dictum, bruta animalia caftrata ferociam exuere, fed homines exfectos plerumque longe deteriores, fuperbioresque, & magis intolerabiles fieri.*

§. 153. Caufa & judicium de impotentia magnis difficultatibus fubjacet, eo etiam ex capite, ut inquit Pontifex c. 6. in fin. *cum finale judicium pendeat ex futuro.* Ac primo, fi de matrimonio contrahen-

trahendo agitur, dubitans, an sit potens, nec ne, illicite contrahit; quia decipit in re valde gravi alteram partem, ut inquit Gobat de impotentia n. 427. Si contracto jam matrimonio oritur quæstio, discuti inprimis ex allegatis debet, utrum impotentia præcesserit matrimonium, an supervenerit. Si ea naturalis sit & intrinseca, ex corporis & naturæ vitio proveniens, præsumitur præcessisse; quod enim a natura inest, semper adfuisse præsumitur. Si vero accidentalis sit & extrinseca, ac de ea alter conjux sat diu post contractum matrimonium conqueri incipit, præsumtio est, eam contracto jam matrimonio supervenisse. c. 1. h. t. ibi: *Si enim reclamare voluit, cur tamdiu tacuit? Cito enim & prævio tempore scire potuit, si secum coire potuisset.*

§. 154. Non sufficit ad declarandam matrimonii nullitatem, si impotentia sit antecedens, uti contingit in iis, qui cum pubertate legali naturalem necdum nacti sunt, aut qui natura & lege impuberes contraxerunt ex dispensatione. §. 53. Verum opus est, ut judicetur *perpetua*; temporalis enim matrimonium non dirimit. c. 6. In dubio, perpetuane sit, an temporalis, locum habet celeberrima constitutio Cœlestini III. c. *laudabilem*. 5. ibi: *Requisivisti, quantum temporis indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ conjugalis? Nos vero præsenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati conjugii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium* (c). Conditio interjecta: *Si frigiditas prius probari non possit*, ostendit triennio opus non esse, quando signa impotentiæ non dubia & præsumtiva sunt, sed necessaria, aut verisimiliter evidentia. Saltem Judicis est, tempus probationis moderari.

(c) *Novell. Justiniani 22. de Nuptiis. c. 6.*

§. 155.

§. 155. Manente dubio SS. Canones præterea decerunt: 1. Si mulier affirmet impotentiam viri, vir neget, huic potius credendum est; eoquod *caput sit mulieris.* c. 1. 2. Si uterque conjux affirmet, vero tamen judicio opus est, cit. c. 1. & peritorum arbitrio (*d*); dein uterque cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ (si propinqui defuerint) tactis sacrosanctis Evangeliis, jurare debent, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti sint (*e*). 3. Facta dissolutione & separatione, parti alteri, quæ impotens non est, aut si respectiva impotentia sit probata, parti utrique conceditur transitus ad alias nuptias. c. 5. h. t. 4. Si pars pro impotenti habita postmodum reperiatur apta ad actus conjugales, matrimonium prius redintegratur. c. 1. c. 5. & 6. Neque enim sententia in causa impotentiæ lata transit unquam in rem judicatam. 5. Hæc causa tum demum cognoscitur, si altera pars in casu dubiæ vel etiam certæ impotentiæ ad dissolutionem provocet, uti si mulier, virum habens pro impotente, alteri velit nubere, dicens: *Volo fieri mater: volo filios procreare.* c. 1. & fin. Si enim conjuges velint, cohabitare possunt instar fratris & sororis; idque etiam suadendum est. c. 2. in part. decis. & c. 4. Unde matrimonium bona fide contractum ex causa impotentiæ nemo accusare potest, nisi ipsi conjuges.

(*d*) *Vid. Paulus Zacchias Quæst. Medico-legal. l. 3. tit. 1. l. 9. tit. 3. & tit. 10. q. 1. 2. 3. Item in subjunctis consiliis & decisionibus Rotæ Romanæ. Sanchez de Matr. l. 7. disp. 92. seq.*

(*e*) *Conjuges jurant de veritate: propinqui de credulitate.*

TITU-

Titulus XVI.

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

ARGUMENTUM.

I. Impedimenta matrimonium impedientia jure antiquo. §. 156. *II. Jure novo.* §. 162. *III. Praxis dispensationum matrimonialium: regulæ, causæ, forma, & executio earum.* §. 163. *IV. Revalidatio matrimonii.* §. 170.

§. 156. Est hæc propria sedes impedimentorum matrimonii, quæ dicuntur *impedientia tantum.* Interpretes SS. Canonum hoc eodem titulo agere solent de Praxi dispensationum matrimonialium, ac de *revalidatione* matrimonii, ob impedimentum dirimens nulliter contracti. Impedimenta *impedientia* dicuntur, per quæ matrimonii contractus fit illicitus, non tamen irritus. Sponsalia tamen, seu promissio matrimonii, contra interdictum Ecclesiæ contrahendi, penitus irrita sunt. Ejusmodi impedimenta impedientia, seu interdicta alia sunt *absoluta:* alia *restricta* ad certum tempus, modum, circumstantias: alia item *generalia:* alia *specialia*, quæ ad casus spectant particulares, uti si ex conjectura latentis impedimenti, vel lite pendente de valore prioris matrimonii, novum interdicatur.

§. 157. Interdicta absoluta olim proveniebant ex certis delictis, quorum rei spe conjugii perpetuo carere debebant. Istiusmodi fuerunt I. *Incestus.* c. 1. & c. 4. de eo, qui cognovit. II. *Raptus alienæ sponsæ.* can. *Statutum.* 34. XXVII. q. 2. III. *Interfectio proprii conjugis.* can. *Interfectores.* 5. XXXIII.

XXXIII. q. 2. IV. *Susceptio propriæ sobolis* de sacro fonte, facta mala fide. can. *de eo.* 5. & can. fin. XXX. q. 1. V. *Interfectio presbyteri.* c. 2. de pœnit. & remiss. VI. Ob delictum publicum suscepta *solemnis pœnitentia.* can. *De his.* 12. & can. fin. XXXIII. q. 2. VII. Attentatio matrimonii cum moniali scienter suscepta. can. *His ergo.* 13. XXVII. q. 1. (*a*).

(*a*) *Hæc impedimenta hoc ordine referuntur his versiculis:*
Incestus: raptus sponsatæ: mors mulieris:
Susceptus propriæ sobolis; mors presbyteralis:
Vel si pœniteat solemniter: aut Monialem
accipiat. Prohibent hæc conjugium sociandum.

§. 158. Quidam ad impedimenta matrimonium impedientia, aut omnino dirimentia referunt adulterium, ita, ut conjux adulter etiam post mortem alterius conjugis non potuerit matrimonio copulari cum complice adulterii; etsi ad adulterium nulla sponsalia, nulla machinatio accessisset. Hæc quæstio usum habebit pro titulo sequente, & tractatur maxime, relate ad disciplinam Ecclesiæ sub Alexandro III. nempe Sec. XII. *Dico*: Adulterium antiquis temporibus nec impediit, nec diremit matrimonium cum complice ineundum post mortem conjugis alterius. Prob. 1. can. *denique.* 2. XXXI. q. 1. ibi: *Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri potest conjugium, cum quo præcessit adulterium* (*b*). Prob. 2. Gratianus, qui proxime abfuit ab ætate Alexandri III, & disciplinæ ecclesiasticæ suorum temporum certe peritus fuit, cum Canones discordantes Decreto suo concordare vellet, sic rem egit, ut Canonem tertium cit. caus. & quæst., quo matrimonium inter complices adulterii prohibetur, exponat his verbis: *Hic subaudiendum est, nisi prius*

per-

peracta pœnitentia: & si nihil in mortem viri machinatus fuerit, vel si vivente viro fidem adulteræ non dedit, se sumturum eam sibi in conjugem, si viro ejus superviveret. Prob. 3. Innocentius III. in c. *significasti.* 6. de eo, qui duxit. aperte decidit, matrimonium inter adulterum, & meretricem adulterii complicem initum post mortem uxoris pro legitimo habendum esse, *nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo.* Ergo tempore Innocentii III. solum adulterium non obstitit nuptiis inter complices contrahendis. Ac in eadem Decretali integra ait Innocentius III. *Nos igitur inquisitioni vestræ secundum formam canonicam respondentes.* Non ergo novam induxit Innocentius disciplinam ab ætate Alexandri III. discrepantem; cum ab hoc ille non multum distaret. Nam Alexander III. quidem ad Pontificatum promotus fuit an. 1159., Innocentius III. an. 1198. Prob. 4. Ex Decretali ipsius Alexandri III (*c*), in qua sic rescribit: *Ex præsentium latoris confessione percepimus, quod cum ipse quandam alterius uxorem in adulterio polluisset, pœnitentiam inde suscepit. Sed postea in eundem incidit, diabolo instigante, reatum; ac eandem mulierem viro defuncto sibi in matrimonium copulavit, eamque asserit in præsenti pro conjuge retinere.* Est hæc prima rescripti pars, seu narratio. Sequitur decisio, non qua *absolute* nullum declaratur matrimonium inter adulterum & adulteram ex sola nempe adulterii causa, sed *conditionate*, si ad adulterium machinatio, aut promissio nuptiarum accessisset. *Verum quoniam Nos de salute animarum ipsorum sollicite compellimur in domino cogitare, Fraternitati Tuæ &c. quatenus rem ipsam diligenter inquiras: & si tibi constiterit, quod ille vel illa in mortem prioris viri*

fuerit machinatus, vel si eo vivente fidem ipsi mulieri dederit, se eam in conjugem recepturum, eos non differas penitus separare. Quodsi neutrum istorum constiterit, in causa ipsa juxta ecclesiasticam consuetudinem, & canonica statuta procedas. Hæc consuetudo ecclesiastica & canonica statuta certe diversum quid ab eo denotant, quod prius dixerat: *Non differas penitus separare*, nempe ob nullitatem matrimonii ortam ex adulterio conjuncto cum machinatione vel promissione nuptiarum. Solum igitur adulterium ex mente Alexandri III. matrimonio non obstat. Quæres, quid ergo Pontifex denotat per ecclesiasticam consuetudinem? Verosimiliter denotat modum procedendi contra relapsos post pœnitentiam; qui indicatur can. *de his*. 12. XXXIII. q. 2.

(b) *Canon desumtus est ex S. Augustino l. 1. de Nuptiis & concupiscentia. c. 10. Atque hanc esse genuinam lectionem, contra, ac quidam putant, patet ex optimis editionibus, etiam Maurina; imo ex ipso contextu ejus loci omnino perspicuum est. Tempore ergo S. Augustini adulterium nondum obstabat nuptiis inter adulterum & adulteram post mortem alterius conjugis contrahendis. Ostendant ergo, qui aliter sentiunt, quando, quo loco, quo Pontifice severior disciplina postmodum fuerit introducta.*

(c) *Hæc Decretalis Alexandri III. non continetur in compilatione Gregorii IX. sed in Append. Concil. Lat. III. p. 45. c. 2. Concil. Edit. Mansi Tom. XXII. col. 409.*

§. 159. Duo videntur obesse hactenus dictis de matrimonio inter adulteros post mortem alterius conjugis contrahendo. C. cum *haberet*. 5. de eo, qui duxit. nullum declaratur istiusmodi matrimonium, etsi non intervenerit machinatio, aut promissio futuri matrimonii. R. n. a. In cit. c. 5. non agitur de validitate aut nullitate matrimonii inter adulteros contra-

trahendi, sed de canonica pœnitentia adversus gravissimum & publicum delictum infligenda; quæ talis fuit, ut matrimonium non modo ipsis adulteris inter se, sed cum qualibet alia persona contrahere fuerit prohibitum; præsertim *cum in dies suos ambo processerint, & jam diu publice in adulterio & perjurio, ex certa scientia perdurantes Ecclesiam in gravi scandalo perturbaverint*, ut ibi dicitur (*d*).

(*d*) *Species facti erat hæc: Quidam Joannes uxorem legitimam habebat, Allitiam nomine, ipsique simul adulterii consuetudo cum famula intercedebat. Cum vero semel Superioris Ecclesiastici præcepto adactus adulteram dimisisset, postea in idem relabens scelus, ausus est, vivente adhuc prima uxore, reverti ad famulæ contubernium, in eoque* quasi matrimonialiter *per decennium perseverare. Unde & decem filios ex ea procreavit. Pontifex consultus, quid statuendum esset de hujusmodi adulteris, qui in eadem prava consuetudine adhuc perseverabant, tale dedit responsum*: Ut separentur omnino, & eis competenti pœnitentia injuncta, perpetua continentia indicatur; *habita maxime ratione pervicaciæ ipsorum, gravisque scandali, quo Ecclesiam perturbaverant.*

§. 160. Alterum, quod objicitur, est c. *propositum.* 1. de eo, qui duxit. Quod est ipsius Alexandri III., ubi sic legitur: *Licet autem in canonibus habeatur, ut nullus copulet in matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maxime, cui fidem dederat, uxore sua vivente, vel quæ machinata est in mortem uxoris.* Ergo adulterium etiam sine machinatione & promissione futuri matrimonii obest matrimonio inter adulteros contrahendo. R. n. c. Vera mens rescribentis eruenda non est ex verbis, quæ eidem quodam exciderunt loco, dum aliam omnino & diversam ab ea, quam præ manibus habemus, quæstionem pertractabat; sed cum eandem

quæstionem examinavit ex instituto; uti ostensum est §. 158. probatione 4. In objecto c. *Propositum:* Alexander III. respondet Abbati S. Albani, qui ab ipso quæsierat, quidnam statuendum esset de quodam homine, qui, vivente uxore sua, alteram sibi matrimonio copulaverat, insciam conjugii, quo is adstrictus erat, & filios ex altera illa procreaverat; uxore vero defuncta renuebat cum prædicta muliere permanere, sub obtentu, quod invalidum cum ipsa matrimonium contraxerat, legitima uxore adhuc superstite. Pontifex ergo cum eam circumstantiam magni æstimaret, quod scilicet *præfata mulier erat inscia, quod ille aliam uxorem haberet viventem*, nec æquum censeret, prædictum virum, qui scienter contra canones venerat, lucrum de suo dolo reportare, statuit, ut, siquidem ipsa mulier postularet, divortium inter eos fieret: non vero, si volente muliere in hujusmodi connubio perseverare, vir peteret ab ea separari.

§. 161. Ad impedimenta impedientia olim referebatur *impedimentum catechismi*. c. 5. de cognat. spirit. c. 2. eod. in 6. Id penitus abrogatum censetur per Concilium Trid. Sess. XXIV. c. 2. de ref. matr. Unde si infans jam privatim baptizatus pro supplendis ceremoniis sacris defertur ad templum, Parochus in libro baptizatorum annotare debet, eos, qui infantem levaverunt, fuisse tantum patrinos catechismi, non autem baptismi, ne oriatur erronea opinio de contracto impedimento (e).

(e) *Sanchez de Matrim. l. 7. disp. 10. n. 11. seq.*

§. 162. Impedimenta, quæ non absolute, sed relate ad tempus, aliamve circumstantiam matrimonium

nium impediunt, secundum præsentem Ecclesiæ disciplinam sunt: I. *Sacratum tempus* ab adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta cinerum usque in octavam paschatis, utrinque inclusive. Hoc tempore non ipse contractus matrimonii, sed solemnitas & celebritas nuptialis, ac solemnis nuptiarum benedictio prohibetur (*f*). II. *Interdictum speciale* Ecclesiæ, id est, Episcopi, & donec causa ad Episcopum referatur, etiam parochi, si nempe indicia impedimenti emergunt, aut de valore prioris matrimonii lis pendet. c. 3. de clandest. desp. Si, non obstante interdicto Ecclesiæ, matrimonium contrahatur, id valet; pœnitentia tamen inobedientibus imponitur. c. 1. h. t. Imo si causa de valore prioris matrimonii nondum discussa est, conjuges interea separantur c. 3. h. t. & c. 4. de sponsa duor. secus si sententia feratur de nullitate prioris matrimonii. c. 18. de sponsal. & matr. III. *Sponsalia* cum alia persona prius inita, nec legitime dissoluta. §. 76. IV. *Votum simplex*. §. 103. (g).

(*f*) *Concil. Trid. Sess. XXIV. c.* 10. *de ref. matr. adde can.* 11. *ibid.* Siquis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones, aut alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit: anathema sit. *Olim aliis etiam nonnullis anni temporibus a nuptiis, & diebus orationi ac pœnitentiæ destinatis ab usu conjugii abstinendum erat. c.* 4. *de feriis. Gratian. caus. XXXIII. q.* 4. *& ibid. can.* 8. *&* 10.

(*g*) *Quaternarius horum impedimentorum numerus his versibus exprimitur:*

Sacratum tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum,
impediunt fieri, permittunt facta teneri.

§. 163. Interpretes ad hunc titulum agere solent de dispensationibus in impedimentis matrimonii, & de istius revalidatione, quæ fit detecto impedimento matrimonii jam initi. Quæstionem Juris Ecclesiastici publici de potestate dispensandi attigi tum, quando de jure statuendi impedimenta egi. Est enim potestas utraque & faciendi impedimenta, & eadem relaxandi per se connexa. Hoc igitur loco, quæ ad praxin pertinent, quoad summa capita indicari debent: distincta enim ejus explicatio limites harum institutionum longe excedit (*h*). Quoad usum & praxin dispensationum matrimonialium fit I. distinctio inter impedimenta matrimonii, in quibus dispensare *non potest* Summus Pontifex §. 28., & impedimenta, in quibus *potest*, *sed non solet*, nisi casu rarissimo & maxime urgenti: demum alia, in quibus *& potest*, *& solet* dispensare, ex justa nempe causa. II. Inter dispensationes super impedimentis pro matrimonio *contrahendo*, vel ad remanendum in matrimonio jam *contracto*. III. Inter dispensationes, quæ petendæ sunt ex *Dataria* pro impedimentis publicis, & pro utroque foro: aut ex *Pœnitentiaria* pro impedimentis ex delicto occulto, aut ex voto ortis, & pro foro conscientiæ tantum. IV. Denique inter impedimenta, in quibus ad alterutrum tribunal omnino recurrendum est, & alia, in quibus nullo opus est recursu Romano §. 36. Episcopis Germaniæ Summus Pontifex inter facultates quinquennales concedit potestatem pro foro etiam externo in civitate & diœcesi tantum, gratis dispensandi in tertio & quarto gradu simplici & mixto (*i*) tantum cum pauperibus in contrahendis; in contractis vero cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum; & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam: item dispensandi

ſandi ſuper impedimento publicæ honeſtatis juſtitiæ ex ſponſalibus proveniente: item ſuper impedimento criminis, neutro tamen conjuge machinante; ac reſtituendi jus amiſſum petendi debitum: item diſpenſandi in impedimentis cognationis ſpiritualis præter levantem & levatum (*k*).

(*h*) *De praxi harum diſpenſationum vid. Pyrrhus Corradus in Praxi diſpenſ. Apoſtol.* l. 7. *&* 8. *de praxi Pœnitentiariæ vid. Marcus Paulus Leo Prax. ad Liter. Maj. Pœnitentiar.*

(*i*) *Per* mixtum *intelligitur gradus quartus mixtus cum tertio, nequaquam gradus tertius mixto cum ſecundo. Unde quando diſpenſatio petitur, uterque gradus debet exprimi: & in gradibus mixtis concipitur formula diſpenſationis iis verbis, quibus diſpenſatur in proximiore, & declaratur non obſtare remotiorem. Ex his illuſtrantur ea, quæ in nota* §. 135. *pro declarando c.* 3. *de conſ. & affin. dicta ſunt.*

(*k*) *Clauſulæ his facultatibus annexæ ſunt: I.* Hæ diſpenſationes matrimoniales non concedantur, niſi cum clauſula: *Dummodo mulier rapta non fuerit, & ſi rapta fuerit, in poteſtate raptoris non exiſtat. II.* In diſpenſationibus hujusmodi declaretur expreſſe, illas concedi tanquam a Sedis Apoſtolicæ Delegato; ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inſeratur cum expreſſione temporis, ad quod fuerint conceſſæ; alias nullæ ſint. *III. In fine facultatum quinquennalium additur generalis facultas* communicandi has facultates in toto, vel in parte, prout opus eſſe ſecundum ejus conſcientiam judicaverit, ſacerdotibus idoneis in converſione animarum laborantibus, & præſertim tempore ſui obitus, ut Sede vacante ſit, qui poſſit ſupplere, donec Sedes Apoſtolica certior facta alio modo provideat.

§. 164. Diſpenſationes matrimoniales Concilium Trid. Seſſ. XXIV. c. 5. de ref. matr. hisce regulis conſtringit. I. „In contrahendis matrimoniis vel

vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, & gratis concedatur. II. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. III. Siquis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. IV. Quodsi ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjaceat pœnis. Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contemsit. V. Si vero solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit; tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit. „

§. 165. Præmissis regulis explicanda est *causa*, *forma*, *executio* dispensationum matrimonialium. Causa, ex qua a Pœnitentiaria petitur & obtinetur dispensatio, plerumque est evitatio peccati, & scandali (*l*). Si matrimonium ob latens impedimentum est nullum, dispensatur ob ignorantiam, bonam fidem; & publicitatem matrimonii in facie Ecclesiæ contracti. Causæ pro relaxandis impedimentis maxime publicis ad contrahendum primo matrimonium sunt: I. Copula carnalis præcedens & propalata. II. Infamia mulieris ob suspectam conversationem cum Oratore agnato. III. Angustiæ loci. VI. Incompetentia vel defectus dotis. V. Extinctio litis, vel assistentia in lite super successionem bonorum. VI. Ætas Oratricis vigesimum quartum annum excedens. VII. Habitatio ad litus maris, vel inter Hæreticos. VIII. Compositio inimicitiarum. IX. Confirmatio pacis. X. Mul-

X. Multitudo filiorum Oratricis viduæ. XI. Spes conversionis ad religionem catholicam. XII. Conservatio familiæ, vel bonorum in familia. XIII. Excellentia meritorum. XIV. Prærogativa dignitatis. XV. Denique conceduntur in gradibus saltem remotioribus, personis Nobilibus aut alias valde honestis dispensationes *ex certis rationabilibus causis*, nulla expressa in specie; quæ ob id vocantur dispensationes *sine causa*, non quod nulla subsit, sed quod ea in specie non exprimatur; ut adeo executor in eam inquirere non debeat, sed in alia narrata in literis, e. g. utrum Oratores sint de familia nobili, vel honesta, uti in literis exprimitur (*m*).

(*l*) *Ob hanc causam Major Pœnitentiarius facultatem dispensandi committere solet in voto simplici castitatis, religionis, non nubendi &c. In affinitate ex copula illicita etiam in primo gradu lineæ transversæ ad contrahendum, in primo autem lineæ rectæ ad remanendum in contracto: in compaternitate: in impedimento criminis: in tertio vel quarto gradu consanguinitatis aut affinitatis ad effectum remanendi in matrimonio vigore invalidæ dispensationis nulliter contracto. In aliis Pœnitentiarius M. eget auctoritate Apostolica expresse & prævia consultatione concessa.*

(*m*) *Sunt sine dubio justæ causæ in decentia naturali, fæcunditate matrimoniorum, & propagatione caritatis (uti differit S. Augustinus can. un. XXXV. q. 1.) fundatæ, ut prohibitio nuptiarum ultra gradum Consobrinorum, atque adeo ad quartum gradum extendatur; incidunt etiam non raro justæ causæ, ut intra gradum quartum matrimonia contrahantur. Recte ergo sancta Ecclesia & prohibitionem nuptiarum ad quatuor gradus extendit, & ex incidente justa causa ad dispensandum benignam se præbet.*

§. 166. *Forma dispensationis* tum ex Dataria, tum ex Pœnitentiaria obtinendæ est *commissoria*, qua facultas dispensandi alteri committitur Auctoritate

 Aposto-

Apostolica sub certis conditionibus, quæ ab Executoribus literarum diligentissime impleri debent. *Ex Dataria* commissio fit Ordinario, quo nomine intelligitur etiam Vicarius Generalis, quem Romanæ literæ *Officialem* vocant, nunquam expresso nomine Episcopi aut Vicarii, ut dispensandi facultas commissa censeatur dignitati & officio, non autem personæ. Literæ Officiali inscriptæ, si Episcopus interea obiit, a Vicario Capituli executioni dari non possunt. Si autem Sede Episcopali vacante dispensatio petitur, hæc committitur non Vicario Capituli, sed vicino Episcopo, aut ejus Vicario seu Officiali. Si Oratores sint diversæ Diœceseos, literæ mittuntur ad Ordinarium Oratricis.

§. 167. *Ex Pœnitentiaria* dispensatio pro foro conscientiæ committitur Confessario, Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario, ab Oratore eligendo. Aperiendi has literas & exequendi facultatem ex privilegio habent Presbyteri S. J. per Superiores suos designati, & ab Ordinario loci approbati (per Breve Gregorii XIII. quod incipit: *Exponi nobis.*); etsi Magisterii in Theologia, vel Doctoratus in Jure Canonico gradu insigniti non sint.

§. 168. Ad formam dispensationum etiam pertinet, quod hanc facultatem dispensandi Pœnitentiaria concedat *gratis*, nihil exigendo etiam *pro Scriptura.* In Dataria solvenda est *Taxa* Cancellariæ, & insuper *Compositio* major vel minor pro diversitate gradus, in quo dispensatur: aut opum, quibus pollet persona honestæ vel nobilis familiæ. Hæc compositio minuitur vel omnino remittitur, si Vicarius Generalis Episcopi attestetur de paupertate, præsertim si accedat periculum infamiæ, aut præcesserit copula carnalis.

carnalis. *Pauperes* censentur, qui stabiles reditus non habent, aut census ex bonis propriis; quales sunt omnes, qui labore manuum victum quærunt, aut ex salario Principis vivunt.

§. 169. In Executione dispensationum id maxime inquirendum est, utrum verificentur causæ in literis Pontificiis expressæ; cum Pontifex aliter nolit concedere facultatem dispensandi. Similiter verificandæ sunt clausulæ, quæ adjici solent, & quibus stricte inhærere debent Executores (n). Si ex Pœnitentiaria commissa est facultas dispensandi, executio non tantum *gratis*, uti gratis conceditur, sed in ipso actu Sacramentalis Confessionis fieri debet, ita, ut literæ nequaquam prosint pro foro externo; & ideo facta dispensatione mox lacerandæ sunt, vel saltem ad eum statum redigendæ, ut nullam probationem pro foro externo facere possint.

(n) *Dispensationum matrimonialium causas veraciter exponendas, & ab Executoribus omnino verificandas esse, docuit singulari Constitutione:* Ad Apostolicæ. *Benedictus XIV. data* 25. *Febr.* 1742. *ibi* §. 2. *agit de clausula*: Et Oratori vitæ periculum immineret; *quæ addi solet, quando femina infamiam contraxisse dicitur ob suspectam familiaritatem cum consanguineo. Imminere periculum vitæ Oratori potest a parentibus aut fratribus feminæ in vindictam, quod filiam aut sororem ipsorum familiaritate sua ab aliis honestis nuptiis impediverit. Hæc clausula raro verificatur in Germania; unde raro etiam executioni dari poterunt literæ dispensationum tali clausula munitæ.*

§. 170. *Revalidatio* seu confirmatio matrimonii jam contracti fit, si, quod antea fuit nullum, obtenta dispensatione super impedimento, quod illud diremerat, aliove legitimo modo fiat validum. Ac tum quæritur, utrum hæc revalidatio, ac novus sponsorum

sorum consensus iterum coram Parocho, ac duobus vel tribus testibus peragi debeat? R. 1. Si matrimonium antea publice initum fuit, coram Parocho nempe, & duobus vel tribus testibus; *& impedimentum quoque publice innotuerit*: idem matrimonium rite revalidari & confirmari non potest, nisi consensus iterum coram Parocho & duobus vel tribus testibus præbeatur. 2. Si matrimonium antea publice initum fuit, coram Parocho nempe, & duobus vel tribus testibus; *& impedimentum dirimens mansit occultum*: tunc novus quidem consensus requiritur, sed clam & inter contrahentes præstandus est; nec amplius Parochus, aut duo vel tres testes requiruntur. Cessat enim adæquate finis Decreti Tridentini de clandestinis matrimoniis. Atque ita declaravit Pœnitentiaria S. Pii V. auctoritate (o).

(o) *Conf. Bened. XIV. Institut.* 87. *n.* 62.

§. 171. Alia se offert non modica difficultas in revalidando matrimonio jam contracto, si occultum impedimentum intercessit, quod uni solum ex conjugibus cognitum est. Tunc enim si a Pœnitentiaria remedium dispensationis quæritur, literæ redduntur in hanc sententiam: *Dummodo impedimentum præfatum occultum sit, & separatio inter latorem &, dictam mulierem fieri non possit absque scandalo, aliudque non obstet, cum eodem latore, ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nunquam detegatur, matrimonium cum eadem muliere, & uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere, legitime valeat, misericorditer dispenses.* Difficultatem facessit clausula: *Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata*; quid enim? si pars inscia impedimenti, nulli-

nullitate matrimonii cognita discedere velit, & ad libertatem aspiret? Est tamen hæc certioratio, conditio necessaria ad revalidationem, ne novus consensus præstetur *ex errore* de matrimonio valide jam inito: & consequenter pariter nullus sit (*p*). Putant nonnulli, hanc certiorationem non requiri, si primus contractus fuit nullus ex defectu consensus e. g. ob vim, quam altera pars in contrahendo passa est: ac tum, si hæc eadem pars de novo consentiat libere, matrimonium revalidari censent. Ita P. Pichler cum aliis ad h. t. At enim Clemens VIII. a quo super hac re consilium petitum fuit, expendens primum illum consensum pertinuisse ad materiam neque legitimam, neque idoneam, respondit, pro matrimonii confirmatione novum consensum ab utroque conjuge esse tribuendum, ab eo nempe, qui matrimonium per vim contraxit, & simul ab altero, qui vim ejusmodi ignorans, ultro ac libenter eodem se matrimonio illigavit. Insuper adjecta fuit ea conditio, ut maritus, qui jam libere consenserat, prius moneretur, irritum fuisse matrimonium; eoquod uxor ad assentiendum coacta fuerit, cum primo celebratæ sunt nuptiæ: *Admonito prius marito de matrimonii nullitate* (*q*). Quapropter ad verificandam clausulam aliud non videtur relinqui, quam ut pars impedimenti conscia alteri libere declaret, se haud rite matrimonio consensisse, cum primo initum fuit: ideoque oportere consilio confessarii, atque internæ tranquillitatis causâ, ut ambo consensum renovent, seque id libenter facturam ostendat. Quodsi alter conjux eandem voluntatem patefaciat, id satis erit, ut novus consensus secundum præscriptam normam elicitus intelligatur.

(*p*) *Sic aperte habet Glossa in c.* 1. *de eo, qui duxit. Pars enim consentiens* in primo consensu, qui nullus fuit, intelligitur perdurare; *sicuti probatur de servo*, qui

qui creditur liber, dum mulier libera cum eo contrahit; si post manumittitur uxore ignorante, non ob id coalescit matrimonium; quia post manumissionem factam uxor cum eo manendo, semper intelligitur approbare consensum primum, qui fuit erroneus, nec sufficiens ad perficiendum matrimonium. Secundum generalia principia id declarari potest ex l. 8. C. de J. & F. J. ubi hæc species proponitur: Titius fecit testamentum, in quo Eroti relicta libertas. Heres, qui ab intestato alias succedere poterat, putat testamentum esse validum; & profitetur, Erotem esse libertum orcinum ipsius defuncti. Quæritur, an hæc professio heredis noceat heredi? Quod hic negatur; nam ut approbatio actum aliquem confirmet, necesse est, ut approbans plenam habeat actus notitiam. Aliud exemplum extat l. 9. ib. Contraxi cum servo meo, ceu cum homine libero. Quæritur, an non obstante hoc contractu, si per errorem feci, quæstionem status illi movere possim; & affirmatur.

(q) *Conf. Bened. XIV. Instit.* 87. *n.* 66. *& seq.*

TITULUS XVII.

QUI FILII SINT LEGITIMI.

ARGUMENTUM.

I. Diversitas prolium ratione natalium. §. 172. II. Naturales sensu juris canonici legitimantur per subsequens matrimonium. §. 175. III. Plene quidem, at sine præjudicio aliarum legitime natarum. §. 177. IV. Spuriæ non legitimantur, ceu natæ ex adulterio. § 180. V. Legitimatio per rescriptum Principis. §. 184. VI. Ex causa natalium oritur quæstio status, & præjudicialis. §. 187.

§. 172. **P**roles per adoptionem, non naturam suscepta, dicitur *legitima tantum:* quæ ex valido matrimonio, aut bona fide saltem unius in facie Ecclesiæ contracto nata est, appellatur *legitima & naturalis: naturalis tantum* opponitur

ponitur 1. legitimæ tantum, 2. legitimæ & naturali, 3. Jure civili proli spuriæ, & natæ ex damnato coitu, 4. Jure canonico opponitur spuriæ. Si de illegitimis agitur, qui per subsequens matrimonium legitimari possunt, aliumve ad actum dispensationem petunt, Jus canonicum duas eorum classes constituit, naturalium, & spuriorum. Lib. I. de Filiis presbyt. §. 446. & seq. Jus autem civile distinguit naturales, spurios, natos ex damnato coitu, uti ibidem exposui. Porro multi favores juris connexi sunt cum legitimis natalibus: ceu pro successione in bona parentum: participando statu, nobilitate & familia patris: habilitate consequendi officia honorata, ad recipiendos ordines clericales, beneficia & dignitates ecclesiasticas &c. His commodis privari solent illegitime nati tum ob inhærentem aliquam maculam ex delicto parentum: tum ob justum timorem, ne eorum incontinentiam imitentur (a).

(a) *Non solo natalium vitio, sed etiam inæqualitate matrimonii quantumvis valide initi, fit aliquando, ut liberi nobilitate ac statu patris carere debeant.* §. 74.

§. 173. Pro legitimis certo habendi sunt liberi I. nati ex justis nuptiis, id est, matrimonio secundum Canones valido, etsi parentes servilis conditionis sint c. 1. de conj. Serv. disparis status, levis notæ macula notati. II. Nati ex matrimonio occulto §. 73. imo etiam (ubi Decretum Tridentinum de clandestinis matrimoniis non obligat) ex matrimonio clandestino, & ab Ecclesia approbato. c. 2. de cland. desponf. & c. 9. h. t. III. Nati ex infidelibus, qui secundo, tertio vel ulteriori gradu contraxerant, & postea ad fidem conversi sunt. c. fin. h. t. IV. Nati ex matrimonio publice & bona fide contracto, licet ob latens aliquod impedimentum postea deprehendatur nullum.

Hinc

Hinc c. *cum inter.* 2. h. t. liberi nati, aut etiam tantum concepti ante sententiam divortii (dissolutionis) a parentibus, qui ignorabant impedimentum, declarantur legitimi quoad jus hereditarium succedendi in bona parentum, & quoad alimenta de eorum facultatibus obtinenda. Hoc etiam procedit quoad liberos natos post litem contestatam, qua valor matrimonii impugnatur, uti colligitur ex cit. c. 2. & ex c. *laudabilem.* 2. Ut lite pendente; ubi carnale commercium permittitur in conjuges, quamdiu lis pendet super matrimonio bona fide contracto. Adde tamen c. 44. de Sentent. excomm. Statutum est autem, ut, si matrimonium ob latens impedimentum est nullum, non requiratur bona fides in utroque conjuge, sed sufficiat bona fides unius ex ipsis. c. fin. §. 1. de cland. desp. Si ergo conjugatus, vivente sua uxore ducat aliam, & hæc sciat, illum esse conjugatum, illegitima est proles. cit. c. fin. de cland. desp. c. *causam.* 4. & c. *referente.* 10. h. t. At contra legitima erit proles, si secunda uxor ignorat impedimentum ligaminis, quo vir laborat. c. *Ex tenore.* 14. h. t. Unum his casibus necessarium est, ut matrimonio publicæ denuntiationes fuerint præmissæ; ne scilicet conjuges *affectatores ignorantiæ* videantur. cit. c. fin. de cland. despons. Exceptio est, si denuntiationes omissæ, non potuissent ullo modo conferre ad detegendum impedimentum; uti si matrimonium fuit nullum ex defectu consensus interni in altero conjuge. Sanchez. de Matr. l. 3. disp. 42. n. 5. (*b*).

(*b*) *Hic casus de matrimonio putativo extat in Thesaur. Res. S. Congregationis in una Mechliniensi legitimitatis prolis. Die* 6. *Jul.* 1726. *T. III. pag.* 342. & 347. *Tom. IV. pag.* 170. & *p.* 222.

§. 174.

§. 174. Dubia ſit legitimitas I. in prole præcoce, aut ſera. l. 12. D. de Statu hom. l. 3. §. penult. & ult. D. de ſuis & legitim. II. In ea, quæ reperitur expoſita. III. Si mater prolis durante conjugio cum aliis viris male verſari conſueverit; proles tamen, donec contrarium probetur, legitima præſumitur, etſi mater eam ex adulterio natam affirmet. Gabriel Palæotus de Nothis. c. 22. IV. Si proles concepta & nata eſt, poſtquam maritus ad ſacros Ordines promotus eſt, & uxor continentiæ votum emiſit, ea quoad effectus canonicos, nempe ſuſceptionem Ordinum, admiſſionem ad beneficia, cenſetur illegitima. c. *Literas*. 14. de Filiis presb. Quoad effectus civiles, ceu ſucceſſionem, paſſim auctores pro legitima habent talem prolem. Res tamen carere difficultate non videtur. Nam iſtiusmodi votum continentiæ relate ad uxorem habet vim voti quaſi ſolemnis §. 103. quo edito leges civiles abominantur conjunctiones quasvis ſacrilegas. l. 45. C. de Epiſc. & Clericis. V. Mulierem vi oppreſſam, ſi concipit & prolem edit, nonnulli comparant uxori in matrimonio nullo, bona fide verſanti.

§. 175. Proles illegitimæ Jure canonico cenſentur *naturales* ex habilitate parentum ad nuptias tempore, quo proles concepta eſt, aut etiam (quæ eſt ſatis recepta opinio) tempore nativitatis, vel demum intermedio quodam tempore. l. 11. C. de naturalibus liberis. Ibi: *Generaliter definimus, ut ſemper in hujusmodi quæſtionibus, in quibus de ſtatu liberorum eſt dubitatio, non conceptionis, ſed partus tempus inſpiciatur: & hoc favore facimus liberorum, ut editionis tempus ſtatuamus eſſe inſpectandum: exceptis his tantummodo caſibus, in quibus conceptionem magis approbari, infantium conditionis utilitas expoſtu-*

lat. Quæ generaliter hic definiuntur de tempore conceptus & partus, ſic intelligenda ſunt, ut etiam tempus *intermedium* contineatur; vel enim tempus conceptionis involvit totum illud ſpatium, quo proles in utero eſt: aut quodvis tempus intermedium referri debet ad tempus partus l. 7. D. de Statu hominum. Ibi: *Qui in utero eſt, perinde ac ſi in rebus humanis eſſet, cuſtoditur, quotiens de commodis ipſius partus quæritur.* Adde l. 26. ibid. & pr. Inſt. de Ingenuis. Si vero inter parentes prolis nec conceptionis, nec partus, nec intermedio tempore validum matrimonium conſiſtere potuiſſet, proles edita dicitur *Spuria* in ſenſu Juris canonici.

§. 176. *Liberi naturales* (eo, quo dictum eſt, ſenſu) *legitimantur per ſubſequens matrimonium inter parentes eorum.* c. 1. h. t. Nec fit differentia, quo tempore, quantumvis longo, poſt editam prolem, contrahatur matrimonium: nec utrum immediatum, aut mediatum ſit (*c*), modo validum ſit matrimonium, cui is legitimationis effectus jure affixus eſt; quod enim nullum eſt, effectum juris operari non poteſt: nec ſane ſola ad id ſponſalia de futuro ſufficiunt. Satis eſt autem, ſi in matrimonio conſenſus de præſenti rite præſtitus, etiam in articulo mortis intervenerit. Nuptias enim conſenſus, non concubitus facit.

(*c*) *Caſus de matrimonio mediato exhiberi ſolet hac figura, ex qua dein alia de effectu iſtiusmodi legitimationis enaſcitur controverſia. Joachimus illuſtriſſimæ alicujus familiæ filius ex illuſtri puella extra matrimonii ſtatum filium Joſephum ſuſcipit illegitimum. Contrahit dein cum alia illuſtri matrimonium, ex quo legitimum filium generat Iſidorum. Defuncta uxore primam Amaſiam ſibi matrimonio copulat, quo filius prior Joſephus legitimatur. Defuncto Joachimo patre magna inter Iſidorum legitime natum, & Joſephum per ſubſequens matrimonium legitimatum oritur controverſia de ſucceſ-*

ſione

sione in feuda paterna & fideicommissa, quæ ex pacto & providentia Majorum primogenito debentur, reliquis fratribus certa pecuniæ quantitate in vim legitimæ designata. Habes casum de legitimatione per matrimonium mediatum, & speciem controversiæ de effectu ejusdem; utrum is tantus sit, ut legitimatus per subsequens matrimonium in primogenitura præferri debeat alteri fratri ex intermedio matrimonio legitime nato.

§. 177. Generalis decisio est: Legitimati per subsequens matrimonium parentum, quoad omnes juris effectus, excepta sola dignitate Cardinalitia (*d*) æquiparantur legitime natis: imo pro legitimis judicandi sunt. c. 1. & 6. h. t. ibi: *Tanta est vis matrimonii, ut, qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.*

(*d*) *Sixtus V. Const.* Postquam verus. *edita an.* 1586.

§. 178. Non obstante hoc generali favore legitimationis per subsequens matrimonium factæ, dicendum, eum tantum non esse, ut liberis legitime natis, eorumque juri jam quæsito derogare, aut præjudicare possit. Quare in casu §. 176. in nota proposito legitimatus per subsequens matrimonium in primogenitura præferri non potest alteri fratri ex intermedio matrimonio legitime nato, cui per legitimos natales jus primogenituræ absolute quæsitum & radicatum fuit concurrente & naturali & civili vinculo, antequam alter evaderet legitimus & successionis capax. Legitimatio nititur illa quidem *simplici* fictione, qua non legitime natus habetur pro legitime nato; at tanta fictio *retrotractiva*, quæ contra omnem juris rationem juri alterius quæsito deroget, neque per leges, neque per sacros Canones statuta est. Imo Recentiores Interpretes Juris civilis ad tit. Inst. de Nuptiis, quo loco de legitimatione agitur, omnem in ea fictio-

 nem

nem retrotractivam a Justiniano sublatam fuisse contendunt. Sacri autem Canones, dum restitutionis in jus quoddam gratiam alicui faciunt, aperte decidunt, quod talis restitutio, *ubi aliud non exprimitur, intelligatur fieri sine juris præjudicio alieni.* c. *quamvis.* 8. de Rescriptis. in 6.

§. 179. Alia in hoc genere agitatur controversia de nepote legitime nato ex patre illegitimo, seu naturali; utrum succedat avo, si hic defuncto filio, patre nepotis, matrimonium contrahat cum muliere, ex qua filium naturalem, nepotis patrem susceperat (*e*). Sciendum ex legibus, nepotem ex filio naturali aut spurio non succedere avo. l. fin. C. de nat. lib. At nepoti, ex justis præmortui naturalis filii nuptiis nato, prodesse avi matrimonium non videtur absurdum (*f*). Repræsentat enim patrem suum, ejusque jure in omnibus utitur. Per subsequens matrimonium liberi legitimantur. Quid causæ est, cur non hic, ut in toto jure, sub liberorum appellatione nepotes contineantur? l. 220. D. de V. S. Cum ducitur concubina, seu mulier, ex qua filium naturalem genuit avus, tunc omnes ex ea nati legitimantur; & vere dici potest, nepotes ejus progeniem esse. cit. l. 220. Quoties lex simpliciter *liberorum* nomine utitur, omnes descendentium gradus intelligit: & hoc ipso loco *liberorum* nomine utuntur leges, quos per matrimonium subsequens legitimari volunt. Patria potestas æque competit in nepotem ac filium; & legitimatio est causa patriæ potestatis; ergo æque operatur in nepotem.

(*e*) *Casus figurari potest hoc modo: Desiderius filium naturalem in juventute sua ex persona soluta suscepit; qui filius subinde adultus contracto legitimo matrimonio, alium filium, adeoque respectu sui patris naturalis nepotem genuit; quo relicto brevi post vita functus est. Avus singulari in hunc suum ex filio naturali nepotem affectu*

affectu commotus nihil magis optat, quam ut eundem legitimum familiæ ſuæ ſucceſſorem & heredem habere poſſit. In quem finem cum prædicta muliere, ex qua filium, hujus nepotis patrem progenuerat, matrimonium contrahit, hoc modo filium jam defunctum tanquam per ſubſequens matrimonium legitimaturus, aut certe ſuum ex hoc nepotem.

(*f*) *Sic differit Ulricus Huberus in L. I. Digeſt. tit.* 6. *n.* 10. *Similiter decidit Fachinæus L.* 3 *controv.* 59. *Propoſitus caſus diſtingui debet ab alio ſimili, ſed paulum mutato, de quo fit mentio eodem cit. l. fin. C. de nat. lib. Sit avus, ejusque filius legitimus & naturalis, & ex hoc nepos naturalis tantum. Hic utique legitimari non poterit, niſi per matrimonium patris ſui; eoque ante tale matrimonium defuncto non ſuccedet avo.*

§. 180. Spurii (in ſenſu juris canonici) ceu adulterini, inceſtuoſi non legitimantur per ſubſequens matrimonium. c. 4. & 6. h. t. (*g*). Idem de Spuriis ſenſu juris civilis, & natis ex damnato coitu obtinuit; cum inter eorum parentes ne fingi quidem potuerint nuptiæ. Fictio enim perſonas habiles requirit. Nov. 89. c. 14. & Nov. 74. c. 6.

(*g*) *Fac, maritum vivente uxore adulterium commiſiſſe cum ancilla ſoluta, quæ & concepit & edidit prolem vivente ea uxore. Si hac poſtmodum defuncta maritus ancillam valido ſibi matrimonio copulet (ſolum enim adulterium ſine machinatione aut promiſſione matrimonii ejus valori non obſtat, nec impedimentum criminis inducit.* §. 158.)*; non tamen prior ſoboles poſteriore matrimonio evadet legitima. Ponitur ergo adulterium utrinque fuiſſe formale. Aliter enim fortaſſis loquendum eſt de caſu, quo mulier ignorat, virum eſſe in conjugio; cujusmodi quidpiam proponitur c.* 1. *&* 7. *de eo, qui duxit.*

§. 181. Propoſui de liberis naturalibus per ſubſequens matrimonium legitimandis, de ſpuriis per idem non legitimandis regulam Canonici juris, quam

verissimam, & a nemine in dubium revocandam dicit Benedictus XIV. Tom. I. Bull. Constit. 113. in qua respondet Archiepiscopo S. Dominici in insula Hispaniola, qui Papam interrogaverat, an filii ex adulterio procreati legitimentur per subsequens matrimonium. Rationes pro tali legitimatione Archiepiscopus descripserat ex Bœhmero Jur. Eccl. Protestantium h. t. a §. 21. tacito hujus auctoris nomine, & proposita hac specie facti: Vir nobilis uxoratus rem habuit, stante matrimonio, cum libera muliere, pari cum ipso natalium nobilitate, duosque filios ex ea procreavit. Defuncta vero uxore matrimonium contraxit cum prædicta muliere, quæ duos, ut præfertur, filios ei pepererat. Horum alter jam mortem obierat; atque ille procul dubio natus erat priore uxore in vivis agente. Alter superstes est; sed nondum satis est exploratum, an eadem prima uxore vivente conceptus aut natus fuerit. Dubitatur de utroque, an legitimi, sive spurii sint habendi; seu potius an per subquens matrimonium cum ipsorum matre contractum, ambo censendi sunt legitimati.

§. 182. Huic quæstioni se respondere, ait Pontifex, *non tamen ex auctoritate Apostolicæ Sedis, - - sed meram sustinentes personam Doctoris privati, cujus vitæ ætas fere omnis in sacrorum Canonum studiis - - exacta est.* Decidit ergo I. filius præmortuus, qui & conceptus & natus est, prima uxore superstite, legitimus non evasit per matrimonium cum ipsius matre postea contractum. II. Si alter filius prima uxore vivente conceptus quidem, at post ejus mortem natus sit, resolutio pendet ex controversia Doctorum, qua inter se disputant, utrum pro statuenda legitimatione tempus nativitatis, an præterea tempus conceptus inspici debeat; in qua re textus textibus, Doctores Docto-

ribus

ribus, & tribunalia tribunalibus adverſari videntur. *Si a Nobis, inquit, judicium noſtrum in caſibus particularibus interponendum foret, non aliter id a Nobis fieret, quam ſecundum ſententiam in tribunalibus & curia illius regionis receptam, in qua eſſet pronuntiandum.* Quia vero de hoc altero filio, illud tantum certum habetur, quod inter ipſius parentes matrimonium poſtea contractum fuerit; incertum vero, utrum is prima uxore vivente, an jam defuncta & conceptus & natus ſit, hinc Pontifex addit: *Si noſtrum de eo judicium exquireretur, filium hunc legitimum cenſeremus; cum Judex in dubio debeat in bonum, & commoda prolis propenſus eſſe.*

§. 183. His præmiſſis deciſionibus Pontifex reſpondet ad Argumenta contraria. Præcipuum erat hoc: Proles adultera non legitimatur per ſubſequens matrimonium eo tantum caſu, *quo illud nulliter contrahitur*; ut in caſu c. 6, ob machinationem in mortem uxoris. Hinc cit. c. dicitur: *Si autem vir vivente uxore ſua aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit, licet poſt mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus ſpurius erit filius, & ab hereditate repellendus; præſertim ſi in mortem uxoris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.* R. n. Pontifex duos recenſet caſus, in quibus per matrimonium non legitimatur proles: 1. Si ea ex adulterio nata eſt. 2. Si ad adulterium acceſſit machinatio in mortem conjugis. Dictio *Præſertim* idem indicat, ac *multo magis;* ut ſenſus ſit: Si filii adulterini non legitimantur per ſubſequens parentum matrimonium; *multo magis* id tenendum eſt pro caſu, quo ſubſequens matrimonium fuit nullum ob adulterium cum machinatione conjunctum. Etſi vero in propoſita ſpecie machinatio interceſſerit, Pontifex tamen de ſolo adulterio etiam ſine

 machi-

machinatione mentem ſuam & ſententiam profert. Nec ſi planus & apertus eſt ſenſus ejus Decretalis, prout in compilatione Gregorii IX. extat, ad fontes & Decretalem integram recurri poteſt pro eruendo ſenſu contrario. Compilatio enim auctoritatem legalem nacta eſt a Gregorio IX., non fontes, a quibus multa deciſa, reſecta & cum mutatione poſita ſunt (*h*).

(*h*) *Putat Bœhmerus, poſito etiam ſolo adulterio ſine machinatione prolem adulteram per ſubſequens matrimonium tempore Alexandri III. legitimari non potuiſſe, quia inter adulteros validum matrimonium ea ætate contrahi non potuit; cum autem ea diſciplina ab Innocentio III. poſtmodum fuerit immutata, nihil obeſſe opinatur, quo minus proles ex adulterio nata vivente altero conjuge, poſt ejus mortem per ſubſequens matrimonium hac ætate legitimetur. At falſitatem hujus opinionis adcurate oſtendi ſupra a* § 158.

§. 184. Alia eſt legitimatio prolium quarumvis illegitimarum per *Reſcriptum Principis*, quam Juſtinianus primus induxit Nov. 89. c. 9. & noſtris temporibus ad preces oblatas frequenter expedit vel Princeps ipſe, vel alius, qui jus legitimandi a Principe impetravit, *Comes Palatinus* hodie dictus. Hoc quidem modo juvantur illi, quorum parentes non contraxerunt inter ſe matrimonium, aut qui ex damnato coitu concepti & nati ſunt. Beſoldus part. 5. conſil. 199. filium adulterinum ſic legitimari cenſet, quando parentes oblatis precibus manifeſtant Principi intentionem ſuam contrahendi matrimonium ad effectum legitimandi prolem adulterinam; Princeps dein permittendo matrimonium ad has preces, effectum legitimationis concedere cenſetur, quamvis in reſcripto expreſſa ejus mentio non fiat.

§. 185. Princeps quidem laicus legitimat ad effectus civiles: Eccleſiaſticus vero ad effectus eccleſiaſticos;

sticos; quamquam conveniens videtur, ut qui a Papa ad spiritualia tractanda & obtinenda legitimatus est, æque ad temporalia, quæ longe inferioris conditionis sunt, censeatur habilis; uti exponitur c. 13. h. t. Est tamen legitimatio Pontificia a sola dispensatione ad Ordines vel quædam beneficia omnino distinguenda. Illa plenior est, hæc strictæ interpretationis. Lib. I. Decret. de filiis presbyt. §. 451.

§. 186. Tribuitur etiam Summo Pontifici potestas dispensandi *in radice matrimonii;* quo modo legitimi finguntur, & censentur illi, qui nati sunt ex matrimonio mala fide contracto cum impedimento; cujus dispensationem retrotrahit Pontifex ad initium matrimonii, ita, ut licet parentes nunc jam mortui sint, liberi tamen habeantur nati ex justis nuptiis, etiam in ordine ad effectus civiles. Sanchez. de Matr. l. 8. disp. 7. Boerius decisione 263. n. 26. Hujusmodi legitimatio, quæ etiam dispensatio *ex tunc* appellatur, *non sine urgentissima causa concedi consuevit*, & in iis tantum impedimentis, quæ sunt juris ecclesiastici, nec omnino manifesta extiterunt, uti inquit Benedictus XIV. Tom. I. Bullar. in cit. const. 113. §. 40. (*i*).

(*i*) *Alii modi juris civilis Romani, queis proles illegitimæ natalibus restitui poterant, ceu oblatio curiæ, nominatio filii, & arrogatio Nov.* 89. *penitus ab usu nunc recesserunt.*

§. 187. Ex iis, quæ dicta sunt hactenus, colligi potest, frequentes incidere *controversias status*, præsertim cum de jure successionis agitur. Appellantur eædem *quæstiones præjudiciales* l. II. Decret. §. 139. ac si petenti hereditatem coram Judice laico opponitur defectus natalium, hæc quæstio præ-

judicialis ad Judicem ecclesiasticum remittenda est, suspenso progressu judicii secularis c. 5. h. t. Ad ejusmodi quæstiones præterea referri debent capitula 3. 11. 12. h. t. Exempla & animadversiones de probanda filiatione exhibet cl. Zech de Judiciis Eccl. civilibus §. 290. seqq. de causis autem matrimonialibus generatim inscribitur sequens titulus.

TITULUS XVIII.

QUI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSUNT, VEL CONTRA ILLUD TESTARI.

ARGUMENTUM.

I. Causarum matrimonialium Judex. §. 188. *II. Natura & qualitas.* §. 190. *III. Accusatores & testes.* §. 191.

§. 188. Causæ matrimoniales intelliguntur hoc loco quæstiones non Theoreticæ de sponsalibus & matrimonio, quæ ad scholas & Doctores pertinent, sed Juridicæ, & litigiosæ de natura & qualitate actus initi, utrum sponsalitius, vel matrimonialis sit: de valore aut nullitate sponsalium, vel matrimonii, consequenter de impedimentis, & dispensationibus: de effectibus eorum, nempe juribus & obligationibus sponsornm & conjugum e. g. circa reddendum debitum, de quo, cum actio deficiat, officium judicis ecclesiastici imploratur: de dissolutione sponsalium, aut matrimonii ob detectum impedimentum: de divortio ex causa adulterii, aut sævitiei: de benedictione nuptiali, & jure benedicendi: de malitiosa desertione, longa absentia sponsi, vel conjugis: de legitimitate prolium. Ejusmodi causæ aliquando sunt *meri facti*, an matrimo-

trimonium vel ſponſalia fuerint contracta, aut *juris*, utrumne valide, an ſecus. Actio item aut *affirmativa eſt*, ſi mulier velit declarari pro legitima uxore: vel *negativa*, ſi maritus neget eſſe uxorem. Intervenit etiam *poſſeſſio aut quaſi poſſeſſio* ſtatus conjugalis, filiationis. Unde ſi altera pars ab altera divertit, *actio ſpolii* competit.

§. 189. Cauſæ enumeratæ, earumque ſimiles omnium judicio, ipſoque tribunalium uſu cenſentur *matrimoniales*. Judex autem cauſarum matrimonialium eſt *Eccleſiaſticus*, non ſecularis; uti tota obſervavit antiquitas & definivit Concilium Trid. Seſſ. XXIV. can. 12. de Sacr. matr. ibi: *Siquis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices eccleſiaſticos, anathema ſit.* Ad Eccleſiam enim ſpectat, rata habere matrimonia, impedimenta ſtatuere, & in iis diſpenſare. Ergo eidem etiam competit jurisdictio circa has cauſas. Imo nec quivis jurisdictione pollens eccleſiaſtica ad eas cognoſcendas cauſas ſufficit. c. 1. in fin. de conſang. & affin. ibi: *Non ſunt cauſæ matrimonii tractandæ per quoslibet, ſed per judices diſcretos, qui poteſtatem habent judicandi, & ſtatuta canonum non ignorent.* Ordinarie ergo ſolus Epiſcopus eſt judex competens in his cauſis, non inferior aliquis. Concil. Trid. cit. Seſſ. c. 20. de ref. ibi: *Cauſæ matrimoniales & criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantum examini & jurisdictioni relinquantur.* Cauſæ profanæ de bonis conjugum, ſucceſſione liberorum, alimentatione prolium haud ægre relinquuntur judicibus laicis. c. *cauſam*. 7. Qui filii ſint legit. (*a*).

(*a*) *Solerter adnotat P. Zech tit. de divort.* §. 371. *conjuges Principes Proteſtantes circa cauſam matrimonialem*

lem discrepantes non inventuros competentem judicem, nisi aliorum exemplo Episcopum catholicum vel Pontificem adeant; cum summa Imperii tribunalia, quæ alias causas Principum decidunt, non habeant jurisdictionem fundatam circa matrimonialia.

§. 190. Causæ matrimoniales suas habent proprias qualitates. I. Ex officio tractantur ab Episcopo, sed *summarie*, ut celeriter expediantur. c. 1. ut lite non contestata. Clem. 2. de judiciis. II. Eædem annumerantur causis *arduis*, & suo modo publicis. c. fin. de procurat. in 6. imo æquiparantur criminalibus. c. 9. in fin. de in integ. rest. Hinc etsi usus *accusationum* in criminibus tantum habeat locum; tamen etiam adhibetur ad allegationem & deductionem impedimentorum. Conjunctiones enim illegitimæ inter eos, qui impedimento laborant, tolerandæ non sunt; & ante quidem, quam matrimonium contrahatur, Canones suppeditant *denuntiationem* impedimenti: post contractum *accusationem*. c. 13. de desponf. impub. III. In casu denuntiati impedimenti unus testis fide dignus, aut semiplena probatio sufficit, ut matrimonium impediatur, & prohibetur ad evitanda gravia scelera, & cohabitationem fornicariam. c. 12. de sponsal. c. 2. de consang. & affin. Contra ut matrimonium jam contractum declaretur irritum, & concedatur facultas aliud ineundi, plenissima requiritur probatio tum ob periculum, ne homo separet, quod Deus conjunxit; tum ob possessionem conjugum, & præsumtionem pro valore actus; pro quo in defectu plenæ probationis pronuntiari solet. arg. c. fin. de sent. & re jud. IV. Sententia tamen pro valore matrimonii lata nunquam transit in rem judicatam. c. 7. eod. Neque ulla quoad valorem aut nullitatem locum habet præscriptio, transactio, compromissum, juramentum, re-

stitútio in integrum. Unde accusatio etiam post longissimum tempus fieri potest, nisi conjuges jam essent mortui, & liberis moveatur quæstio status. Quo casu præscripcio locum habet, uti in aliis actionibus civilibus, vel criminalibus. V. Contra contumaciter absentem agi potest ad declarandam matrimonii nullitatem, & si testes & probationes suppetant, usque ad definitivam sententiam c. 1. h. t.; non tamen ad decernendum divortium ex causa adulterii. c. 1. ut lite non contestata.

§. 191. Ut intelligatur, quis accusare matrimonium, aut contra illud testari possit, distinctio fieri debet inter impedimenta, ob quæ accusatur, vel nullitatis arguitur matrimonium. Sunt enim I. quædam velut juris privati, quæ nolentes conjuges non afficiunt, neque invitos separant; ut si matrimonium impugnatur ex capite doli, metus, erroris; ac tum lædens in foro externo non auditur; læsus cessante errore vel metu novum consensum ponere potest, ac posuisse præsumitur, si cessante errore vel metu sponte cohabitet. c. 4. h. t. c. 2. de conj. serv. Ob eandem causam matrimonium accusare ob impotentiam nemo potest, nisi ipsi conjuges. Etsi enim ea subsit, possunt, si velint, cohabitare instar fratris & sororis. c. 4. & 5. de frigid. & malef. can. *requisisti*. 2. XXXIII. q. 1. II. Sunt alia impedimenta, quæ absolutam nullitatem & separationem inducunt. In his regulariter ad accusandum omnes admittuntur, qui conscii sunt impedimenti, idque probare, aut sufficientia indicia ad inquirendum dare possunt. Suspecti censentur, qui diu ante tacuerunt, conjugibus quiete & sine quæstione cohabitantibus: c. 1. h. t. Repelluntur, qui ad accusandum, vel desistendum ab accusatione pecuniam acceperunt. c. 5. Qui impedi-

pedimentum sciverunt ante nuptias, & tamen non denuntiarunt. Accusatio autem esse debet personalis. Solæ enim literæ præsumtionem quidem faciunt; non tamen sufficiunt ad ferendam sententiam, nisi alia accedant adminicula. c. 2. h. t.

§. 192. Testes pro vel contra matrimonium jam contractum esse possunt omnes, qui possunt accusare; si alias sint testes idonei secundum generalia principia de testibus & attestat. (*b*). Præ aliis ad denuntiandum & accusandum matrimonium admittuntur illi, qui majorem ejus notitiam habere præsumuntur, ceu parentes, consanguinei, affines, si de consanguinitate vel affinitate agitur. c. 3. Pro matrimonio autem suspectum est testimonium eorum, quorum præcipue interest, illud contrahi, & valere. c. 22. de testib.

(*b*) *Can. de parentela.* 5. *& seq. XXXV. q. 6. exhibetur formula juramenti, qua accusatores & testes uti deberent. Personis illustribus & nonnullis aliis hodie permittitur, ut testimonium in scriptis ferant.*

TITULUS XIX.

DE DIVORTIIS.

ARGUMENTUM.

I. Notio Repudii, Divortii, Dissolutionis sponsalium & matrimonii secundum jus utrumque. §. 193. *II. Dissolutio sponsalium.* §. 295. *III. Dissolutio matrimonii cum impedimento contracti.* §. 199. *IV. Divortium soluto vinculo.* §. 201. *V. Divortium manente vinculo, perpetuum & temporale.* §. 202. *VI. Indissolubilitas matrimonii consummati inter fideles.* §. 207.

§. 193.

§. 193. Jure Romano *divortium inter virum & uxorem fieri dicitur: Repudium vero sponsæ remitti videtur: quod & in uxoris personam non absurde cadit.* l. 101. D. de V. S. *Non recte autem sponsa divortisse dicitur: quod divortium ex eo dictum est, quod in diversas partes eunt, qui discedunt.* l. 191. ib. Inter *conjuges* ergo secundum leges Romanas & divortium habebat locum, & repudium: inter *sponsos* solum repudium. Repudium sola voluntatis causa fiebat ab alterutra parte: Divortium etiam invitis poterat obtingere e. g. ex captivitate conjugis alterius. Erat etiam apud Romanos in usu judicium de moribus conjugis, de quo inscribitur Rubrica Codicis *de repudiis, & judicio de moribus sublato.* Ac si in eo judicio pronuntiatum fuerat, mulierem moribus suis causam divortio præbuisse, maritus sextam dotis partem lucrabatur, aut octavam, si mores fuissent leviores. Sed hoc judicium postea sublatum est. Verum in hac re nec leges Ethnicorum pro norma haberi possunt, nec Imperatorum Christianorum, iis tum temporibus latæ, quæ valde instabiles fuerunt, cum inveteratæ divortiorum & repudiorum consuetudini mederi per constitutiones suas etsi vellent, nec semper potuerunt, nec cum poterant, voluerunt. A multis jam ætatibus circa divortia solum spectatur, observaturque Jus canonicum.

§. 194. Jure canonico divortium ad quamvis conjugum separationem refertur. Proprie autem dicitur fieri *dissolutio* tum sponsalium de futuro justa ex causa, tum matrimonii cum impedimento dirimente contracti, quo vinculum nullum inter contrahentes coaluit. *Divortium* autem proprie refertur

tum

tum ad vinculi conjugalis solutionem, tum, eo manente vinculo, ad separationem conjugum a toro & mensa, eamque perpetuam, vel temporalem. De his jam receptæ juris decisiones ordine quodam recensendæ sunt, rejecta in finem quæstione de insolubilitate matrimonii consummati inter fideles quoad vinculum conjugale, nisi istuc solvatur per mortem naturalem conjugis.

§. 195. Dissolutio sponsalium de futuro per se est odiosa; nam & gravem obligationem justitiæ §. 14. & conjunctionem animorum continent, ob quam juste introductum fuit impedimentum publicæ honestatis. Hinc c. 2. de sponf. generatim deciditur: *Hi, qui de matrimonio contrahendo pure & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent. Si autem ad invicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet: videtur, quod ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.* C. 16. de sponf. deciditur de eo, qui post jurata sponsalia religionem vult ingredi: *Tutius est ei, religione juramenti servata, prius contrahere, & postea si elegerit, ad religionem migrare* (a). In dissolutione sponsalium, quæ fit altera parte invita, auctoritas Judicis ecclesiastici intercedere debet, nisi causa sit publica.

(a) *Expertissimus Gobatus p. 2. Alphab. matr. n. 248. ait: Tractavi cum permultis desponsatis. Non memini ullius, qui non significaverit, timeri a se culpam, si absque causa rationabili recederet etiam cum consensu consortis.*

§. 196.

§. 196. Justæ dissolvendorum sponsalium causæ partim *communes* sunt omnium contractuum, ceu mutuus dissensus, lapsus temporis, conditio non impleta &c. partim *propriæ* sponsalium. Atque hæ ipsæ maxime fundantur in generali discrimine actus *promissorii* & *executivi*. Priori enim, non posteriori inest conditio: *rebus sic stantibus*, *si potero*, morali nempe sensu. Fit etiam aliquando, ut actus sponsalitius sit *claudicans* vel principio, seu ut ajunt, *in fieri*, uti si impubes sponsalia contrahat cum pubere c. 9. & 11. de desp. impub. aut *postea* vel *in conservari*, emergente facto, ob quod alteri tantum parti jus resiliendi competit. Si jurata fuerint sponsalia, & adest justa causa dissolvendi, seu communis seu propria, non requiritur specialis absolutio vel dispensatio in juramento; quod sequitur naturam contractus.

§. 197. Sponsalia dissolvi *possunt* natura sua, contra ac matrimonium. Solvuntur ergo ob *causas communes* aliis contractibus, qui natura sua solvi possunt; ceu I. *mutuo dissensu* c. 2. §. 195. quo pertinet regula 1. juris: *Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*; modo dissensus non obtineatur vi aut dolo. II. *Lapsu temporis* pro finienda obligatione definiti: c. 5. & 22. de sponf. c. 6. de dolo. III. Conditione non impleta. Ad causas communes etiam pertinet rescissio judicis, dispensatio Superioris maxime ex causa publica.

§. 198. Causæ propriæ dissolvendi sponsalia sunt: I. *Mutatio notabilis* in corpore, animo, fortunis, quæ contingit ex parte unius, & matrimonium redderet multo molestius. II. *Factum* partis unius, quo ipsa impedimentum ponit matrimonio promisso,

aut animum juri suo renuntiandi manifestat. Uti siquis post sponsalia edit votum religionis, Ordinum, cœlibatus, aut novitiatum ingreditur: si faciat alia sponsalia: si contrahat affinitatem cum sponsa: si discedit in terras remotas. c. 5. de sponsal. si incidat in hæresin. Universe omnis causa, quæ post matrimonium contractum sufficit ad divortium perpetuum vel temporale, censenda est a potiori sufficere ad dissolvenda sponsalia. Tria sunt adnotanda: I. His casibus fere uni tantum parti præbetur justa causa resiliendi, permanente alterius obligatione. Unde contractus *claudicare* incipit. II. Si talis mutatio aut factum præcesserit sponsalia, sed ab altera parte fuerit ignoratum, valet principium: *Paria sunt, ignoranter præcedere, ac supervenire.* arg. c. 4. de except. & c. fin. qui matrim. accusare. arg. l. 77. D. de contrah. emtione III. Ejusmodi causa superveniens, aut ignoranter præcedens sufficit ad solvenda sponsalia, etsi hæc fuerint jurata c. 25. de Jurej. conf. §. 196. fin. (*b*).

(*b*) *Disputant de fornicatione tum antecedente, tum superveniente sponsi unius, vel utriusque: quærunt etiam, utrum delicta mutua compensatione tollantur; id quod de divortio ex causa adulterii statuitur. Dum autem aliqui generatim decidunt, ex fornicatione tum antecedente, tum consequente soli sponso causam resiliendi præberi, non item sponsæ, id probare non possum; cur enim ad imparia judicentur?*

§. 199. Dissolutio non tantum ad sponsalia, sed etiam ad matrimonium refertur tunc, quando illud ratione impedimenti dirimentis declaratur nullum, separatis conjugibus. Si de valore matrimonii jam contracti oritur dubium aut quæstio, videndum, I. quæ sint jura conjugum: II. quæ jura & partes judicis ecclesiastici. Si inito matrimonio uni

vel

vel utrique conjugi dubium supervenit de impedimento *ex causa levi & temeraria*, tunc & reddi & peti potest debitum conjugale: *si ex causa probabili & discreta*, peti non potest, sed petenti reddi debet: cui certo innotuit impedimentum, is nec petere potest, nec reddere: imo potius sententiam excommunicationis sustinere debet. c. 44. de sentent. excomm. Si impedimentum utrique certo innotuit, tenentur mox separationem a toro instituere *privatim*. Si dein dispensationem nolint petere, nec in casu impotentiæ cohabitare instar fratris & sororis, separationem *publice* facere non possunt sine auctoritate Judicis ecclesiastici; multo minus una pars alteram invitam expellere, & novum etiam conjugem superinducere potest, etsi manifestum dicat impedimentum. Eo nihilominus attentato alteram partem agentem de spolio cogitur recipere. c. 3. de divortiis.

§. 200. Judex Ecclesiasticus, qui est Episcopus in his causis (*c*), si impedimentum est manifestum & publicum, sua auctoritate, nemine denuntiante vel accusante, inquirit, & illegitimas conjunctiones dirimit. cit. c. 3. in fin. h. t. Si autem causa nullitatis matrimonii ad Judicem defertur, maxime cavendum, ne nimis facile dissolvantur matrimonia; id quod in quibusdam curiis Episcopalibus contigisse, queritur Benedictus XIV. in constit. *Dei miseratione*. T. I. Bullar. n. 33. variis ex causis, quas distincte enumerat Pontifex. Egregie dein providet: I. Ut in singulis diœcesibus eligatur aliquis, si fieri potest, Ecclesiasticus, qui sit defensor matrimoniorum, data Episcopo facultate eum removendi, & alium substituendi. II. Ut lis de nullitate matrimonii nunquam finiri possit per unam instantiam, sed si in ea de nullitate contra matrimonii valorem pronuntiatum fuit,

necessario appellatio a defensore matrimonii interponi debeat, donec saltem duæ conformes sententiæ de nullitate habeantur. Si in prima instantia pro valore pronuntiatum est, defensor appellare non debet. III. Conjugibus interdicuntur aliæ nuptiæ sub pœnis polygamiæ, donec lis in utraque instantia finita sit (*d*).

(*c*) *Supra* §. 189. *conf. Bened. XIV. constit.* Inter multa. *T.* 2. *Bull. N.* 33. §. Tertium. *Ubi ejusmodi causas non ab Abbate Cryptæ Ferratæ loci Ordinario, sed ab Episcopo Tusculano cognosci voluit.*

(*d*) *Exscripsi summa capita hujus constitutionis; quæ occurrente casu, omnino legenda est, ut recte procedatur in re gravissimi momenti. Ejusdem mentionem facit ipse Pontifex in const.* Si datam. 47. *T.* 2. *Bullar.*

§. 201. *Divortium*, uti denotat solutionem vinculi conjugalis, quod antea coaluerat (§. 194.), in *matrimonio consummato fidelium* fit morte I. Cor. VII. 39. eaque sola, non alia ex causa. Concil. Trid. Sess. XXIV. pr. de Sacr. matr. & can. 5. & 7. de qua re afferam nonnulla in fin. hujus tituli. In matrimonio consummato infidelium non sola morte, sed etiam conversione alterius conjugis ad fidem, fit solutio vinculi conjugalis in casu §. 50. n. IV. *Matrimonium ratum* solvitur 1. utroque casu, quo consummatum. 2. Inter fideles professione religiosa unius conjugis. Concil. Trid. l. c. can. 6. §. 105. Demum 3. dispensatione Pontificis, quæ non datur, nisi causa diligenter cognita (*e*). Si enim Pontifex dispensare potest in professione religiosa; quod haud ægre concedunt omnes nostra præsertim ætate: cur non possit solvere vinculum matrimonii rati, quod minus forte est vinculo professionis, & per hanc solvitur. Dici ergo potest: Si vinco vincentem te; multo magis vinco te. arg. l. *de accessionibus.* 14. §. 3.

D.

D. de diversis temporal. præscript. Dein professio religiosa vim solvendi matrimonium ratum neque natura sua, neque ex jure divino, sed Ecclesiæ constitutione habet, atque in primis ex auctoritate supremi Pastoris. Quodsi vero hic tantam vim, ut solvatur matrimonium ratum, conferre potest religiosæ professioni; cur non poterit ipse immediate auctoritate sua matrimonium ratum dissolvere?

(*e*) *Conf. cit. constit. Bened. XIV. Dei miseratione.* §. 15. *Tom. I. Num.* 33. *Ubi declaratur, quomodo & quo ritu matrimonium ratum a Sede Apostolica dissolvatur.*

§. 202. Divortium, uti denotat separationem conjugum, manente vinculo est perpetuum, vel temporale. *Perpetuum* fit I. mutuo conjugum consensu maxime ex causa status perfectioris, nempe clericalit, aut religiosi. §. 102. & 106. (*f*). II. Ob adulterium partis unius, nisi exceptio obstet, de qua vid. §. seq. Adnota I. Jus divortii perpetui ex causa adulterii competit tam uxori innocenti adversus maritum adulterum; quam marito innocenti adversus uxorem adulteram (*g*). II. Fieri ab innocente potest divortium etiam altera parte invita, & reconciliationem petente; imo SS. Canones id præscribunt, nisi pars adultera pœnitentiam agat. can. 4. & 6. XXXII. q. 1. Sed post pœnitentiam recipi eandem volunt. can. 7. ib. Si tamen vir adulteram recipere nolit, ea dicitur in claustro collocanda, ut perpetuam pœnitentiam ibi agat. c. 19. de convers. conjug. III. Ipsa pars rea, si toleretur, divertere non potest; & post divortium semper parata esse debet ad redeundum, si repetitur. Hinc innocens potest religionem ingredi, non autem pars rea sine consensu alterius. IV. Si innocens publice velit divertere, aut nocentem domo expellere, necesse est, ut adulterium

ſit publicum, aut coram judice eccleſiaſtico ſatis probatum. c. 9. de ſponſal. c. 4. h. t. De lucro dotis, aut donationis propter nuptias, quod facit pars innocens, agitur tit. ſeq. V. Quia autem delicta carnis ſunt difficilis probationis; hinc ad divortium ſufficiet etiam adulterium gravibus & violentis indiciis præſumtum; qualia recenſentur c. 12. de præſumt. c. 27. de teſtib. can. *Nec aliqua.* 4. XXVII. q. 1. In jure civili l. 8. §. 2. 3. C. de repudiis.

(*f*) *Tale divortium fit animo nunquam redintegrandi conjunctionem, animique deliberationem poſcit. Unde l.* 3. *D. de divortiis animadvertitur*: Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quam ſi perſeverantia apparuit, judicium animi fuiſſe.

(g) *Secundum leges civiles conjugatus cognoſcens ſolutam judicio adulterii non tenetur. l. 6.* §. 1. *D. de adult. & l. 2. C. eod. Aliud ſtatutum eſt jure canonico, ac civiles leges improbatæ ſunt ab antiquiſſimis Patribus, ab Ambroſio can.* Nemo. 4. *XXXII. q.* 4. *ab Hieronymo can.* Apud nos. 20. *ead. q.* 5. *& can.* Præcepit. 19. *ibid. Ab Innocentio P. I. can. fin. XXXII. q.* 5. *Admitti igitur nec poteſt, quod Beſoldus p. 2. conſil.* 55. *n.* 50. *ſcripſerat, per ſubſequens matrimonium legitimari liberos ex conjugato & ſoluta natos; quia conjunctio mariti cum ſoluta ſecundum leges civiles adulterium non eſt. Nam & de legitimo liberorum ſtatu, & de ratione adulterii non civiles leges, ſed Eccleſiæ Canones normam judicandi præbent.*

§. 203. Expcetiones a jure divortii ex cauſa adulterii ſunt ceſſatio vel diminutio culpæ ex parte nocentis, aut factum quoddam innocentis. I. Si mulier vi oppreſſa fuit. can. *ita, ne.* 3. XXXII. q. 5. & alii canones ibid. Vis autem diſtingui debet a metu gravi c. 5. de his, quæ vi. II. Si vir deceptus aliam mulierem habuerit pro uxore ſua. can. in *lectum.*

ctum. 6. XXXIV. q. 1. & ibi Glossa. Idem est, si uxor probabiliter credens virum mortuum alteri nupserit. III. Ex facto innocentis jus divortii cessat, si ea parti nocenti culpam remiserit tacite vel expresse, cum delictum sciverit. can. *Siquis uxorem.* 4. XXXII. q. 1. (*h*). IV. Si pars innocens fuit causa vel auctor adulterii. c. 6. de eo, qui cognovit. V. Si pars innocens æque dein fiat nocens. Paria enim crimina mutua compensatione tolluntur. c. 4. h. t. in fin. c. 6. & 7. de adulteriis. Imo si mulier ob adulterium separata jam est a viro, & hic postea in idem labatur flagitium, matrimonium redintegratur. c. 5. h. t.

(*h*) *Rectius id infertur ex principiis generalibus de remissione injuriæ, & auctoritate Doctorum. Conf. Schmalzgruber n.* 108. *h. t.*

§. 204. De Divortio temporali generatim deciditur per Canones: I. Illud auctoritate ecclesiastica decerni justa de causa potest. Concil. Trid. Sess. XXIV. de Sacr. matr. can. 8. ibi: *Siquis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad habitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse, decernit: anathema sit.* Æquitas hujus decisionis mox patebit ex enumeratione causarum. II. Divortium etiam temporale non quovis de crimine aut molestia cohabitationis decerni debet. c. 2. h. t. can. *Præceptum.* 21. seq. XXXII. q. 5. Id manifestum est ex natura societatis conjugalis, inter homines, nempe fragiles initæ. Hinc S. Hieronymus in Matth. XIX. sic ait: *Grave pondus uxorum est, si excepta causa fornicationis eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si vaga, si jurgatrix, si maledica:*

ledica: tenenda erit istiusmodi? Volumus, nolumus, sustinenda est. Cum enim essemus liberi, voluntarie nos subjecimus servituti. Conf. c. 1. de conjug. leprosorum.

§. 205. Justæ causæ divortii temporalis sunt: I. Lapsus in hæresin vel idololatriam. c. 6. 7. h. t. II. Periculum animæ, & salutis æternæ, aut fidei. c. 2. h. t. can. *Idololatria.* 5. XXVIII. q. 1. ubi S. Augustinus cum docuisset, idololatriam, quamlibet noxiam superstitionem, & avaritiam instar fornicationis esse, subjungit: *Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quæ in stupris cum alienis viris aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, & perniciose turpiterque corrumpunt, possit sine crimine & vir uxorem dimittere, & uxor virum: quia exceptam facit Dominus causam fornicationis; quam fornicationem, sicut supra commemoratum est, generalem & universalem intelligere cogimur.*

§. 206. III. Periculum vitæ & corporis ex morbo contagioso, aut insidiis partis alterius; quo referri potest sævitia & furor præsertim mariti. can. *Siqua mulier.* 6. XXXI. q. 1. addito c. 1. h. t. c. 8. & 13. de restit. spoliat. Si maritus caveat de non vexanda uxore; neque sit tanta ejus sævities, ut satis caveri non posse videatur, præstita cautione divortium non conceditur.

§. 207. Expositis decisionibus juris huc pertinentibus attingenda est quæstio de insolubilitate matrimonii consummati inter fideles: quæ etsi Theologorum propria sit; tamen sæpe occurrit in collectionibus

nibus Canonum, & ipſis decidendis cauſis. Adverſarii etiam doctrinæ & praxeos catholicæ, ſæpe male abutuntur in hac re jure noſtro. Ipſa dein controverſiæ expoſitio revocandis in memoriam principiis & fontibus Canonicis perquam idonea eſt; per omnes enim Jurisprudentiæ locos vagantur adverſarii, patrocinium erroris fruſtra inquirentes. Ut autem hæc quæſtio illuſtretur, facti ſpecies videtur ponenda ob oculos.

§. 208. Georgius d'Aſcoli, græcus & catholicus, matrimonium contraxit cum muliere Lutherana coram duobus teſtibus, & Prædicante Lutherano in civitate *di Viburgo*, quæ eſt ſita in Finnonia, quæ olim regnum fuit, & nunc eſt pars regni Suecici. Cumque Georgius militem agens captivus factus fuerit ab hoſtibus, & poſt reditum a captivitate tres filios ſe abſente a ſua uxore progenitos invenerit, eam in judicium vocavit; cumque ipſa triplicatum confeſſa fuerit adulterium, prolata eſt in Synodo ſententia ſuper diſſolutione matrimonii quoad vinculum, & libertatem Georgii ad alias nuptias transeundi, juxta Græcorum praxin, & ſic intellectam a Græcis S. Baſilii doctrinam, in qua potiſſimum Synodus ſuæ ſententiæ repoſuit fundamentum. Cumque in prædictæ ſententiæ executionem Georgius velit matrimonium contrahere cum alia femina, cui dicitur ſuam fidem dediſſe; & P. Apollinaris Capucinus Miſſionarius in Moſcovia, & degens in civitate Petersburgo inducias a Georgio obtinuerit, ut Sanctæ Sedis judicium exquireret, re delata ad S. Congregationem de propaganda fit, & facta ejus remiſſione ad S. Congregationem Concilii; quæritur in præſenti, quid ſit ſtatuendum (*i*).

(*i*) *Hæc causa proposita fuit S. Congregationi Concilii die 15. Jan. 1724 ac continetur in Thesauro Resolutionum ejus Congregationis Tom. III. pag. 6.*

§. 209. Decisum fuit ab eadem Congregatione eodem die: *Scribatur, Oratorem non posse aliud matrimonium contrahere.* De Valore matrimonii inter Græcum Catholicum & mulierem Lutheranam animadverte I. illud fuisse illicitum, at certo validum. §. 51. II. Nec valori obstabat, quod clandestinum fuerit, quippe contractum coram duobus testibus & Prædicante Lutherano; qui utique pro Parocho proprio a Sancta Ecclesia haberi nequit. At constabat ex Epistola Missionarii, Decretum Tridentinum de clandestinis matrimoniis eo in loco non fuisse promulgatum; & solum in civitate Petersburgo, quæ centum distat milliariis a prædicto loco, sacerdotes adfuisse catholicos, quorum unus advocari poterat, ut matrimonium coram ipso contraheretur.

§. 210. Matrimonium hoc validum nec per adulterium mulieris, nec per sententiam Synodi solutum fuit. Atque hac jam est præcipua hujus loci quæstio, decidenda in primis auctoritate divina & divinitus instituta, nempe ecclesiastica. S. Concilium Trid. Sess. XXIV. De Sacr. Matrim. can. 5. sic definit: *Siquis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit.* Can. 7. *Siquis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere; mæcharique eum, qui dimissa adultera,*

aliam

aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo adultero, alii nupſerit: anathema ſit. Ante Concilium Trid. Eugenius IV. Decreto pro Armenis ſic docuerat: *Quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere; non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt; cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit.*

§. 211. Concilium definitionis fundamentum ponit 1. in Evangelica & Apoſtolica doctrina: 2. in Traditione; cum dicat, Eccleſiam ex ea doctrina ſic *docuiſſe*, & *docere*. Verba Evangelii aperta ſunt Marci X. 10. *Et in domo iterum diſcipuli ejus de eodem* (de libello repudii, & matrimonio, de quo Chriſtus antea publice docuiſſet: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*) *interrogaverunt eum. Et ait illis: Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Æque perſpicua, & generalia ſunt verba Chriſti. Luc. XVI. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur.* Apoſtolica doctrina extat I. Cor. VII. 10. 11. *Iis, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio: non ego, ſed Dominus, uxorem a viro ſuo non diſcedere; quodſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.*

§. 212. Ex hac Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ luce illuſtrari deberet, ſiquis eſt alius obſcurior hac de re Scripturarum locus. Eſt enim hæc certa interpretandi regula, ut, ſiquæ obſcura videntur, ea clarioribus, ſi ſuppetunt, explicentur ſententiis, non ut interpretatione obſcuriorum ad privatas detorta opiniones, obſcurentur ea, quæ clara ſunt. Id faciunt

ciunt adversarii, cum verba Christi Matth. XIX. 9. tractant: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Locum hunc reddunt ambiguum interposita verba: *Nisi ob fornicationem*; quæri enim potest, utrum ea tantum referenda sint *ad licentiam dimittendi adulteram*, an etiam ad licentiam *ducendi aliam.* Difficultatem sensit S. Augustinus (*k*); senserunt Patres celebris Concilii Forojuliensis a Paulino Aquilejensi congregati an. 791. (*l*).

(*k*) *L. de fide & Oper. c.* 19. *ibi*: Et in ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit; ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.

(*l*) *Concil. edit. Mansi Tom. XIII. col.* 829. *ibi can. X.* (*col* 849.): Sed quoniam in medio ambiguus interponitur sermo, id est, *nisi ob fornicationem*, quæri nimirum potest, utrum ad solam licentiam dimittengi uxorem: *Qui dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem*; an etiam ad utrumque dictum refertur, hoc est, ad aliam vivente illo accipiendam, quasi dixerit: *Qui dimiserit uxorem suam, & aliam, nisi ob fornicationem, duxerit, mœchatur.*

§. 213. Sed verba interjecta: *Nisi ob fornicationem*, referenda sunt, ad solam licentiam dimittendi uxorem, non autem ad licentiam, ea vivente, ducendi aliam. Prob. 1. ex ipsa verborum positione; nam exceptio: *Nisi ob fornicationem*, adjecta est soli prohibitioni dimittendi uxorem; verba autem: *Qui dimissam duxerit, mœchatur*, sunt generalia, & nullam habent exceptionem, vel limitationem. 2. Idem manifestum est ex verbis SS. Marci, Lucæ, & Pauli. §. 211. 3. Sic interpretatur locum Matthæi, & sic definit Ecclesia §. 210. secundum Evangelicam & Aposto-

Apostolicam doctrinam: sic eadem & docuit & docet. 4. S. Augustinus etsi locum dicat obscurum, tamen illum *falli* asserit, qui, dimissa uxore, aliam duci posse opinatur. *Venialiter* eum falli ait, nempe dubio nondum deciso per Ecclesiæ auctoritatem, apertamque definitionem; qua jam proposita veniam erranti certe non concederet S. Doctor. 5. Patres Concilii Forojuliensis exposito eo dubio sic ajunt: *Et idcirco peritissimi viri beati Hieronymi libellum commentariorum recenseri nobis studiose mandavimus, anxie utique cognoscere festinantes, qualiter idem famosissimus Doctor hæc sacrata Dominica verba, juxta capacioris ingenii sui subtilitatem, sensisse monstraretur. Cujus nimirum sensum sagaciter explorantes, in promtu nihilominus patuit, ad solam dimittendi uxorem licentiam pertinere. Nam cum more suo vir sanctus hujus capituli summatim seriem exponendam transcurreret, inter cetera & post pauca sic ait:* Et quia poterat (*inquit*) accidere, ut aliquis calumniam facere innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat. *Non enim debet imitari malum adulteræ uxoris, ut si illa duo, imo unam carnem, per scissuras fornicationum divisit in tres, dividat in quatuor* (*m*). *Unde patenter datur intelligi: quamdiu vivit adultera, non licet viro, nec potest impune, secundas contrahere nuptias.*

(*m*) *Vis hujus sententiæ est hæc: Si injuste agit uxor, quando ex duobus, nempe ex se & viro, qui sunt una caro, per adulterium cum alio viro, facit quasi partes aut scissuras tres; æque injuste aget maritus, si dimissa prima uxore postea per matrimonium cum alia faciat partes seu scissuras quatuor. Ceterum hæc expositio S. Hieronymi ex Commentario in Matth. XIX. exhibetur a Gratiano in can.* dixit. 2. *XXXII. q.* 1.

§. 214.

§. 214. Traditionem ex sententiis venerabilium Patrum & Synodorum particularium collectam passim exhibent Theologi, & qui de hac controversia ex instituto agunt Interpretes Juris sacri. Unde in Resolutione causæ § 108. propositæ dicitur: „Quoad matrimonii dissolutionem quoad vinculum ratione adulterii ab uxore commissi, tres tantum ex Theologis enumerantur, qui dictam dissolutionem approbarunt, Erasmus videlicet art. 6. C. 1. ad Corinth. „ Cajetanus in Commentar. ad cap. 19. Matth. & Ambrosius Catharinus lib. Adnotat. in Cajetani Commentaria (*n*). Ceteri autem omnes sentiunt, matrimonium quoad vinculum non dissolvi propter adulterium, & neutri conjugi licere, altero superstite, „ ad alias nuptias transire, uti Conciliorum & Patrum „ auctoritatibus fuse cumulatis, late prosequuntur „ *Cardinalis Bellarminus in suis controversiis lib.* 1. „ *de Matr. c.* 15. *& duob. seq. Valent. lib. unico de* „ *indissolubilitate matrimonii c.* 3. *& duplici seq. Sanchez de matr. l.* 10. *disp.* 2. *per totam. Pontius eod.* „ *Tract. de Matr. l.* 9. *c.* 16. *Perez de Matr. disp.* „ 35. *sect.* 3. *per totam. Novissime Juvenin. in suo* „ *tractatu de Sacram. dissert.* 10. *quæst.* 4. §. 2. (*o*). "

(*n*) *Hos quidem aptius non excusabis, quam si dicas, eos solemnem definitionem Concilii Tridentini non percepisse, ac ne vivendo quidem attigisse. Nam Sessio XXIV. qua illa definitio prolata est, habita fuit die* 11. *Nov.* 1563. *At Erasmus obiit an.* 1536. *Cajetanus an.* 1534. *Ambrosius Catharinus, qui ipse interfuit antea Concilio, an.* 1553. *Erasmus quidem, ut inquiunt critici*, damnatus est in plerisque, suspectus in multis, caute legendus in omnibus. *Ejusdem de matrimonio quatuor propositiones an.* 1527. *a facultate Parisiensi hac perstringuntur censura:* Hæ quatuor propositiones, quatenus per eas prætendi videtur, matrimonium per adulterium dissolvi quoad vincula, hæreticæ sunt: est enim vinculum matrimonii jure divino indissolubile, ut ad Corinthios scribens Apostolus demonstrat, cum inquit:

inquit: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio: non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quodsi discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*; & rursum: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit*; & eadem omnino est ratio de viro, sicut de muliere; quia in ejusdem B. Pauli sententia, *sicut mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; ita vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Tanta præterea indissolubilitas est matrimonii, ut nec per hæresim, quæ est fornicatio spiritualis, dissolvatur. *Continuat. Fleurii l.* 131. §. 74.

(*o*) *Erudite solerterque auctoritates contrarias, totamque controversiam examinavit Scriptor cogitationum suarum de indissolubilitate matrimonii valide initi, consummatique edito Germanico opusculo ICti nomine an.* 1789.

§. 215. Eandem de insolubilitate matrimonii doctrinam in praxin deduxere RR. Pontifices per Decretales suas. Ac Innocentii I. Decretalis data an. 405. ad Exsuperium Tolosanum, quam Dionysius Exiguus in Collectione Canonum inter constituta Sedis Apostolicæ exhibuit, n. 9. & 10. sic habet: *De His etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio alii se matrimonio copularunt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum, ut etiam hæ personæ, quibus tales conjunctiones sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur, secundum illud, quod legimus in Evangelio*: Qui dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur. Similiter, & qui dimissam duxerit, mœchatur; *& ideo omnes a fidelium communione abstinendos.* Manifeste agitur hoc loco non tantum de quocunque repudio, sed etiam de *divortio ex causa adulterii.* Hinc ait: Etiam tales personæ, quæ alterum conjugem adulterii causa dimiserunt, si ad alias nuptias convo-

convolant, sunt adulteræ. Eadem forma decidit Alexander III. c. 9. de spons. Clemens III. c. 4. de eo, qui duxit. Innocentius III. c. 8. h. t. Similiter decidit de infidelibus. Ibi: *Qui secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licite poterit aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi* in casu expresso supra §. 201. & §. 50. n. IV. (*p*).

(*p*) *Gratiani nullam esse auctoritatem, nisi quæ ex fontibus derivatur, constat. Ipse autem methodo scholastica de proposita quæstione utramque in partem disputandi usus sæpe sibi contradicere videtur, uti in iis, quæ adnotat post Can. 16. XXXII. q. 7. & post Can. 18 ib. Can. 17. ead. Non ex Ambrosio, sed Ambrosiastro docet, mulierem ob adulterium dimissam manere debere innuptam, non item virum*; quia viro licet ducere aliam. *Sed post Can. 18. ibid. subdit:* Illud Ambrosii a falsatoribus dicitur insertum; *quod idem animadvertit Petrus Lombardus Lib. IV. Sent. dist. 35. Certe Ambrosius nullum inter virum & feminam discrimen agnoscit. Can. 4. XXXII. q. 4. sic ait:* Nemo blandiatur sibi de legibus hominum. - - Nec viro licet, quod mulieri non licet.

§. 216. De Græcis, qui ob adulterium matrimonia aliquando dividunt, nota I. ex decisione S. Congregationis loc. cit. ubi sic habetur: In eo, quod attinet ad Græcos, Arcudius in suo tractatu de Concordia Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis L. 7. per totum, petitis undique argumentis impugnat Græcorum praxim solvendi matrimonia quoad vinculum propter adulterium, & C. 13. fuse examinat oppositam S. Basilii auctoritatem, ut sensus ejus sit, verum haberi matrimonium viri ab uxore dimissi cum altera *juxta præjudicatam hominum opinionem*, sed rem aliter habere *secundum sententiam Salvatoris nostri*. Quocirca idem

idem Sanctus peccatum in dicto viro agnoscit, sed non ita grave *propter inolitam consuetudinem.* II. Eugenius Papa IV. in Synodo Florent. Sess. 25. sic Græcos allocutus est: Primo dico, *omnes conqueri de separatione matrimonii; idque correptione indiget.* Quid post pacificum Græcorum discessum statuerit in Decreto pro instructione Armenorum, dictum est supra §. 210. III. In Concilio Tridentino paratus erat canon edendus, in quo anathema proferebatur adversus asserentes, matrimonium solvi quoad vinculum ex causa adulterii; sed exponentibus Venetis Oratoribus, satis constare, in more positum apud Græcos, ut uxorem adulteram deserant, & aliam ducant: plures etiam ex eis degere in insulis Reipublicæ subjectis, Cretæ videlicet, Cypri, Corcyræ, Hyacinthi, Cephaleniæ; & Canonem prædictum, esse dictos Græcos provocaturum ad tumultum, & ad integram a Sede Apostolica secessionem; sic res accommodata fuit, ut anathema non respiceret contendentes, matrimonium dissolvi quoad vinculum, sed asserentes, Ecclesiam errare, cum docet, matrimonium quoad vinculum non solvi ex causa adulterii (*q*).

(*q*) *Conf. Pallavicin. Hist. Concil. Trid. l.* 22. *c.* 4. *n.* 27. *seq. Summi Pontifices diligentissimam semper dedere operam, ut Græcos a pravo usu avocarent, uti patet ex Instructione Clementis VIII. super ritibus Græcorum edita* 31 *Augusti* 1595. *Ex constit.* Etsi pastoralis. §. 8. *Tom. I. Bull. Benedicti XIV. N.* 57. *Adde collectanea Scriptorum, quæ postremis temporibus super gravissimis argumentis pro defensione veritatis prodierunt Tom. XXIII. contra Neupauerum Professorem Græcensem. Ceterum Evangelicæ Doctrinæ & Apostolicæ Traditioni, Ecclesiæque definitioni officere non potest pravus quorundam Græculorum usus, cui a quibusdam Episcopis indulgeri, jam Origenes questus est in Matth. Tom.* 4. *n.* 23. Jam vero contra Scripturam mulieri, vivente viro, nubere quidam Ecclesiæ Rectores permiserunt, agentes contra id, quod scriptum est,

in quo sic habetur: *Mulier alligata est, quanto tempore vir ejus vivit.* Et contra illud: *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Multo etiam minus ex hac quorundam Græcorum difformitate cum Launojo inferri potest, rem totam pertinere* ad disciplinam. *Concilia enim & Patres ad Evangelicam & Apostolicam doctrinam provocant. Paulus ait*: Præcipio, non ego, sed Dominus. *Facultas Parisiensis opinionem de solubilitate matrimonii ex causa adulterii* hæreticam *vocat.* §. 214. *in nota. Si Anathema Tridentini non cadit in Græcos, qui matrimonia ex causa adulterii quoad vinculum solvi posse opinantur: at certe cadit in Protestantes, qui Ecclesiam contrarium docentem erroris arguunt.*

§. 217. Novatores nostræ ætatis, ut matrimonii vincula pro lubidine ac concupiscentia carnis disrumpant, ad Jus Philosophicum, seu potius opinionum suarum deliramenta pro more recurrunt. *Secundum jus naturæ privatum*, inquiunt, omnes contractus ex conventione accipiunt legem. Conveniri ergo potest, ut pro certo eventu matrimonii contractus resolvatur. *Secundum jus naturæ sociale* societas mutuo consensu coalescit: ergo etiam mutuo dissensu cessat. Imo societas conjugalis, quæ pro liberis procreandis, tanquam primario fine, iniri solet, detecta sterilitate, aut fracta fide, animisque ob adulterium divisis per se cessat. Demum secundum *jus naturæ publicum* Principis est, leges præscribere contractibus, societates initas dirimere, aut læsos restituere in integrum. Recensent etiam varias causas divortii per leges civiles approbatas soluto vinculo matrimonii, datoque jure transeundi ad alias nuptias R. 1. Secundum hæc principia nihil jam differet matrimonium a concubinatu, imo a vaga scortatione; quia totum pendet a voluntate contrahentium; sicque iniri poterit matrimonium diurnum, menstruum, annuum; quia ipsa etiam educatio prolis a parenti-

bus

bus poterit aliis committi. Societas conjugalis non ab hominibus inventa, ſed a natura, ſeu potius ab Auctore naturæ inſtituta eſt, certisque informata honeſtatis legibus. De hac ſocietate, non de alia quavis dici debet: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Quantopere perpetuitas ſtatus conjugalis rationi conveniat, vel ex eo patet, quod apud ipſos Romanos per annos fere ſexcentos nullum repudii exemplum extiterit; uti Tertullianus in Apologetico c. 6. teſtatur. De Legibus civilibus reſpondeo cum S. Hieronymo in Epiſt. ad Oceanum, de morte Fabiolæ: *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti. Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit* (r).

(r) *Conſ. dicta in Jure nat. Sociali* §. 174. *p.* 356.

Titulus XX.

De Donationibus inter virum et uxorem, et de dote post divortium restituenda.

Argumentum.

I. Diverſitas bonorum inter ſponſos & conjuges. §. 218. *II. Donationes inter virum & uxorem.* §. 224. *III. Jura & privilegia dotis & donationis propter nuptias.* §. 225. *IV. Controverſia de hypotheca privilegiata dotis illuſtratur ex jure canonico.* §. 228. *V. Amiſſio dotis propter adulterium.* §. 230. *VI. Auctoritas Eccleſiæ in protegendis viduis, earumque dotibus.* §. 231.

§. 218. Noſcendæ ſunt variæ appellationes bonorum inter ſponſos, & conjuges. I. *Arrha ſponſalitia* mutuo datur inter ſponſos in probationem & ſecuritatem futuri matrimonii, quod

quod ſibi promiſerunt (*a*). Hæc ſecuto matrimonio redit ad dantem more pignoris, ſecluſa contraria conſuetudine: amittitur a dante, vel in duplum reſtituitur ab accipiente, ſi absque legitima cauſa reſilierit. l. 3. & 5. C. de ſponſal. Ex conventione fieri poteſt, ut quadruplum reſtitui debeat, cui tamen ineſt ſimplum e. g. ut 200 reſtituat, qui accepit 50. cit. l. 3. & 5.

(*a*) *Eſt hæc arrha, cautio liberæ voluntatis, non neceſſitatis, ac ſine piaculo iſtiusmodi ſolemnitates omitti poſſunt, contra ac Græci opinabantur. Can.* Noſtrates. 3. §. 1. *XXX. q.* 5.

§. 219. II. *Sponſalitia largitas* eſt donatio inter ſponſos in ſignum amoris, non in pignus matrimonii. Hæc manet accipienti irrevocabiliter ſecuto matrimonio: eo non ſecuto redit ad dantem, niſi ex hujus culpa matrimonium non ſequatur. l. 15. C. de donat. ante nuptias.

§. 220. III. *Donationes, ſponſis matrimonium contrahentibus factæ* ab aliis, præſertim conſanguineis, cenſentur fieri communes utrique ſponſo; earumque pars dimidia accenſetur poſtea paraphernis uxoris.

§. 221. IV. Bona uxoris ſpeciatim diſtinguuntur in Dotalia, Paraphernalia & Receptitia. *Dotalia* ſunt, quæ ab uxore, vel alio ejus nomine, dantur ad ferenda matrimonii onera. l. 7. pr. l. 56. §. 1. l. 76. in fin. D. de jure dotium. Bona, quæ extra dotem habet uxor, vocantur *Paraphernalia*, ſi ea marito adminiſtranda cum uſufructu in familiæ utilitatem tradidit: *Receptitia*, ſi eorum adminiſtrationem & uſumfructum ſibi reſervavit. l. 8. & l. fin. C. de pactis conventis.

§. 222.

§. 222. Ex parte viri ſpectatur 1. *Donatio propter nuptias*, ſeu contrados, nempe id, quod maritus vel alius ejus nomine promittit vel conſtituit uxori tanquam in ſecuritatem dotis. De jure communi id debet exæquare dotem. Auth. *æqualitas*. C. de pactis conv. 2. *Morgengaba* eſt id, quod maritus altero nuptiarum die uxori dat propter creditam ſibi pudicitiam. De hoc genere ſæpe convenitur pacto ante matrimonium inito. 3. *Dotalitium* eſt uſusfructus, quem maritus in eventum mortis ſuæ conſtituit in bonis ſuis uxori in compenſationem dotis, vel ad meliorem ſuſtentationem (*b*).

(*b*) *Sæpe in his vocabula confunduntur, nec ſervatur proprietas verborum, quæ deberet ſervari c. 6. in fin. h. t. Sic c. 15. de foro competente confunditur dotalitium, & donatio propter nuptias.*

§. 223. *Bona communia* appellantnr, quæ ſtante matrimonio utrique conjugi junctim obvenerunt. Antiquis Germaniæ legibus introducta fuit communio omnium bonorum inter conjuges; quæ poſtea multis in locis abrogata eſt ex principiis juris Romani, alicubi retenta. *Acquæſtus* ſunt lucra, conſtante matrimonio acquiſita unius vel utriusque conjugis opera & induſtria.

§. 224. Denique huc pertinent *Donationes inter conjuges* factæ conſtante matrimonio, de quibus inſcribitur etiam Rubrica hujus tituli, & agitur tot. tit. D. & C. *de donat. inter virum & uxor.* Ubi generatim decernitur, eas firmitatem non habere, ac revocari poſſe expreſſe vel tacite, & morte donatarii, ſuperſtite donante, per ſe ceſſare. c. fin. h. t. Reſtringitur hæc donationum irritatio ad eas, quæ fiunt ex donantis patrimonio l. 5. §. 13. D. de donat. int. vir. & ux. ſimulque donantem pauperiorem, ac-

cipientem faciunt locupletiorem. l. 5. §. 8. l. 32. §. 9. ibid. Quæ fiunt extra ordinem & præter morem consuetum. l. 31. §. 8. ib. ac inter vivos. l. 9. & 10. ib. Exceptio fit de donationibus, quæ fiunt inter Imperatorem & Augustam. l. 26. C. eod. Inter alios factæ confirmantur morte donantis. l. 3. C. eod. ac probabiliter etiam juramento. arg. c. 28. de jurej. (*c*).

(*c*) *Causa istarum legum indicatur Nov.* 74. *c.* 4. *ne* concupiscentiæ magnitudine victi, latenter paulatim conjuges semetipsos privarent sua substantia, *indeque ditatus ab altero exspoliato diverteret, quod sæpe eveniebat apud Romanos.*

§. 225. Circa conjugum bona, ac præsertim circa dotem & donationem propter nuptias, tum quando constituenda primum, tum quando alteri conjugi restituenda est, respici *primo* debet ad *pacta dotalia*, seu nuptialia, quæ in contrahendo matrimonio conjuges stipulari solent, ac omnino observanda sunt, nisi alterutri conjugi nimis nociva sint. c. fin. h. t. *Secundo* respiciendæ sunt consuetudines & statuta locorum. cit. c. fin. *Tertio* demum ad jus commune in subsidium recurritur.

§. 226. Dos *profectitia* dicitur, vel *adventitia*; *necessaria*, aut *voluntaria*: *æstimata*, solius taxationis, aut etiam venditionis causa: aut *non æstimata*. Dominium *naturale* dotis, quamdiu in rerum natura existit, est penes uxorem: *civile* penes maritum cum omnibus juribus, actionibus, & usufructu. Regulariter ab uxore non repetitur stante matrimonio. Excipe 1. si maritus sua culpa ad inopiam vergit. l. 24. pr. soluto matr. (*d*). 2. Si bona mariti propter crimen fisco inferuntur. l. 31. pr. ib. c. 14. de Hæret. in 6. Demum 3. si matrimonium solvitur quoad vinculum; aut quoad torum & cohabitationem tantum absque uxoris culpa & delicto. c.

1. 2.

1. 2. & fin. h. t. ibi: *Soluto matrimonio, ficut dos ad mulierem, fic & donatio propter nuptias redit ad virum;* nifi pacta dotalia jufta, aut confuetudines obfiftant. ib. aut delictum adulterii, de quo infra (*e*).

(*d*) *Aliud eft, fi inopia viri præcedat promiffionem aut conftitutionem dotis; tunc enim vir de reftituenda dote cavet, quantum poteft; aliterve providetur fecuritati dotis. c. 7. h. t.*

(*e*) *Inftar principii fumitur in utroque jure: Sine matrimonio nec dos, nec donatio propter nuptias intelligitur c. 5. h. t.*

§. 227. Privilegia circa reftituendam dotem hæc funt. I. Marito & liberis competit privilegium *competentiæ*, ob quod non tenentur in plus, quam ut congrua fuftentatio ipfis refervetur, etiam non obftante pacto contrario, faltem regulariter. l. 12. & 14. D. foluto matr. II. Uxor in rebus dotalibus vindicandis, fi extant, omnem habet prærogativam. l. 30. C. de jure dotium. Si autem non amplius extant, *privilegiatam* hypothecam habet in omnibus bonis mariti l. 12. C. qui potiores in pign. (*f*). III. In bonis paraphernalibus & receptitiis uxor hypotheca tacita, non tamen fingulari privilegio prælationis gaudet. l. ult. C. de pactis conventis. IV. Hypotheca tacita etiam datur ob donationem propter nuptias, a die nuptiarum. l. 29. C. de jure dotium.

(*f*) *Privilegium hypothecæ uxore mortua omnibus ejus heredibus competit, non item fingulare privilegium prælationis.*

§. 228. De privilegiata hypotheca dotis celebris agitatur controverfia, an uxor pro dote fua præferenda fit creditoribus anteriorem hypothecam non tantum *tacitam*, fed etiam *expreffam* habentibus. Sunt, qui affirmant, quia l. *affiduis*. 12. C. qui potio-

potiores in pign. mulieri pro dote jus prælationis præ omnibus creditoribus conceditur generatim, ſine diſtinctione: addunt Nov. 97. c. 2. & Nov. 109. c. 1. Alii contra negant; quia privilegium dotis lege conceſſum non debet obeſſe proviſioni hominis, nec juri conventione quæſito detrahere. arg. l. 2. §. 16. D. nequid in flumine publico. l. 4. C. de emancip. conf. Gail lib. 2. obſ. 15. n. 10. Sit hæc ſpecies. Acquiro primum hypothecam *tacitam* in bonis Sempronii ob pecunias creditas ad refectionem ædium. Progreſſu temporis Sempronius bona ſua *expreſſe* obligat Titio creditori. Demum matrimonium contrahit cum Caja; & Sempronii bona ſubjiciuntur haſtæ. Porro jure communi inter hypothecas ejusdem generis, qui prior eſt tempore, prior eſt jure, nec fit diſcrimen inter hypothecam tacitam & expreſſam. Quodſi jam uxor præfertur hypothecario tacito, non item expreſſo (quæ videtur æquior ſententia, & ſtatutis Bavariæ Cod. Judiciar. p. 2. c. 20. §. 6. recepta eſt), manifeſtus oritur circulus adhibito principio: *Si vinco vincentem te, vinco te.* arg. l. 14. D. de diverſis temporal. præſcript. Nam in ſpecie facti dicere potero ad Cajam: Si vinco vincentem te (Titium, ob prioritatem temporis & juris), etiam vinco te. Viciſſim Titius mihi regeret: Si vinco vincentem te (Cajam, ob expreſſam hypothecam), etiam vinco te.

§. 229. Ejusmodi circulum inter tres habentes jus ad vacaturam præbendam in eadem Eccleſia feliciter ſolvit Pontifex c. 7. de conceſſ. præb. in 6. Ubi hæc ſpecies proponitur. Tres exſpectarunt præbendam in Eccleſia Parmenſi primo vacaturam; primus Auctoritate Martini P. IV. ſecundus Auctoritate Bonifacii VIII. Tertius Auctoritate ejusdem *cum prærogativa gratiæ, quod omnibus Prædeceſſorum noſtrorum Auctoritate, non autem Noſtra receptis* (ut inquit Bonifacius

facius VIII.) *in assecutione præbendæ debeat anteferri.* Atque hi præbendas consequentur hoc ordine : ut *primam secundus, secundam tertius, & tertiam primus debeat obtinere.* cit. c. 7. de concess. præb. in 6. Secundus igitur consequitur per tertium, ut præferatur primo; nam jure communi tales admittebantur secundum datam gratiæ. Sic fortassis in priore exemplo, si hypotheca uxoris præcedit tacitas aliorum, non item expressas hypothecas, Titius consequitur per Cajam, ut mihi præferatur, etsi jure communi mihi præferri non debeat (*g*).

(*g*) *De alia circuli specie mentionem feci l. I. Decret. de Rescriptis* §. 214.

§. 230. Leges civiles antiquiores, quæ matrimonia quoad vinculum solvi variis ex causis permittebant, illi conjugi, qui causam discidii dederat, præter alias pœnas dictant, mulieri quidem amissionem dotis, viro autem amissionem donationis propter nuptias. l. 8. D. de Captiv. & postlim. l. 8. §. 4. & 5. C. de repudiis. Jus canonicum, etsi vinculum matrimonii ob adulterium solvi non permittat; tamen uxori adulteræ amissionem dotis, marito adultero amissionem donationis propter nuptias, legibus civilibus dictatam confirmat. c. 4. h. t. Amittit præterea pars adultera partem bonorum communium inter conjuges. c. 10. de consuetud. Ad alia bona, ceu ad paraphernalia & receptitia uxoris pœna extendi non potest. Si igitur uxor adultera judicio Ecclesiæ, aut etiam propria voluntate & conscientia criminis a marito recesserit, nec ei postea reconciliata sit ; eidem dotem vel dotalitium petenti post mariti mortem, istius heredes exceptionem adulterii opponunt, etiam mere præsumti ex indiciis violentis (§. 202.), imo etiam *ficte* probati, scilicet per contumaciam uxoris de adulterio accusatæ, citatæ & non comparentis (*h*).

Cessat autem amissio dotis aut donationis propter nuptias: 1. Si hæ non uxori aut marito, sed tertio, a quo constitutæ fuerant, restitui deberent. 2. In casibus, in quibus jus divortii cessat. §. 203. Denique 3. ob privatam mariti vindictam, si adulteram in adulterio deprehensam occidit. l. 10. §. 1. D. solut. matr. Sed conf. Propos. 19. inter damnatas ab Alexandro VII.

(h) *Bœhmer. Jur. Eccles. Protest. h. t.* §. 31.

§. 231. Jure canonico *communi* Judex Ecclesiasticus, etiam delegatus tantum, qui pronuntiat de divortio, etiam de dote vel donatione propter nuptias pronuntiare debet c. 3. h. t. nempe ob continentiam causarum; de qua tamen conf. L. II. Decret. §. 48. Ceterum Ecclesia & viduas & earum dotes protegere solet tum miserationis intuitu post mortem maritorum, tum etiam his viventibus, ne *occasione dotis* (ab alio) *detentæ uxor a viro dimissa, aut vir, qui dimisit uxorem, adulterii reatum incurrat.* c. 7. in fin. h. t. Ex quo tamen haud inferas, viro licitum esse, uxorem expellere ob dotem non solutam; sed Ecclesia periculo providet, ne id, etiam contra jus fiat. Memorabilis autem est doctrina SS. Canonum de favore, quem dotibus, ac viduis impendunt. *Licet Ecclesia* (inquit Pontifex c. 6. h. t.) *in causis viduarum se favorabilem debeat exhibere; contra justitiam tamen non est eis favor ecclesiasticus concedendus* (i). Hinc si vir uxori in dotalitium vel donationem propter nuptias, quam post ejus mortem lucretur, concessit usumfructum, quem ipse habuit ad vitam (nam morte extinguitur), aut feudum, aliamve rem post mortem, revocabilem; uxor ista viro defuncto retinere non potest; quia vir plus juris in eam transferre non potuit, quam ipse habuit. cit. c. 6.

(i) *Similis decisio extat c. 11. de for. competente. Ibi:* Sic sumus viduis in justitia debitores, quod aliis injustitiam facere non debemus.

TITU-

Titulus XXI.
De secundis Nuptiis.

ARGUMENTUM.

I. Moralitas secundarum nuptiarum. §. 232. *II. Licitæ sunt eæ quidem, sed minus favorabiles in utroque jure.* §. 237. *III. De morte prioris conjugis constare debet.* §. 239.

§. 232. Secundæ nuptiæ intelliguntur hoc loco, quæ non sunt primæ valide contractæ, etsi forte tertiæ, quartæ, vel ulteriores sint. Fieri potest, ut sint primæ nuptiæ relate ad unum conjugem, secundæ relate ad alterum. Prima est quæstio de *moralitate* secundarum nuptiarum ex ratione naturali, causis politicis, principiis Christianæ Religionis.

§. 233. Spectata ratione naturali fieri aliquando potest, ut necessitas quædam aut justa causa impellat ad secundas nuptias; neque considerata *corporum* conjunctione adest ratio, cur secundæ potius, quam primæ sint evitandæ. Feminis tamen viduis cavendum, ne ad immaturum properent conjugium intra annum luctus tum ratione honestatis, tum ad evitandam sanguinis perturbationem. Hæc ratio ad sponsas, aut maritos viduos non pertinet. Nam *uxores viri lugere non compelluntur: sponsi nullus lectus est.* l. 9. D. de his, qui notantur infamia. Si, quod præcipuum est in conjugio, *animorum* inter conjuges spectatur conjunctio, secundæ nuptiæ mutationem affectus, & genus quoddam infidelitatis continent; ob quod illæ ab antiquis Scriptoribus quibusdam *decorum adulterium*, & *honesta fornicatio* dictæ sunt. Primæva matrimonii institutio non tantum simultaneam, sed etiam

fucceffivam polygamiam videtur excludere. *Prima hominis creatura nos doceat plures nuptias refutare. Unus Adam, & una Eva, imo una ex eo cofta feparatur in feminam; rurfumque quod divifum fuerat, nuptiis copulatur, dicente Scriptura: Erunt duo in carnem unam, non in duas, nec in tres. Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori fuæ, certe non uxoribus*; ut inquit S. Hieron. de Monogamia Epift. 11. ad Ageruchiam.

§. 234. Ex caufis politicis variæ gentes averfabantur fecundas nuptias, præfertim quod illæ liberis prioris matrimonii effent infeftæ, quibus a noverca aut vitrico bonorum aut fæpe etiam vitæ periculum imminebat. Leges Romanæ feminas intra annum luctus nubentes notant infamia, aliisque afficiunt pœnis. l. 1. C. de fecund. nupt. (*a*). Sed pœna infamiæ abrogata eft jure canonico, quod etiam in foro obtinet civili. c. 4. & 5. h. t. Paulus enim inquit de muliere: *Si dormierit vir ejus, liberata eft; cui vult, nubat.* I. Cor. VII. 39. Hanc correctionem ufus utriusque fori extendit ad alias pœnas, quatenus pœnæ funt. Nam illud naturale eft fecundis nuptiis viduæ, ut amiffis juribus prioris mariti transeat in domum, poteftatem, forum & conditionem pofterioris mariti. L. 22. §. 1. D. ad Municipal. Nov. 22. c. 36.

(*a*) *De anno luctus conf. Merill. obfervat. l.* 5. *c.* 30.

§. 235. Sunt alia ex caufis politicis in favorem liberorum prioris matrimonii conftituta, quæ abrogatis etiam pœnis fecundarum nuptiarum vigent: I. Mater ad fecundas nuptias transiens amittit tutelam liberorum. l. 2. Auth. *Matri & Aviæ.* & Auth. *Sacramentum.* C. quando mulier tutel. offic. fungi poteft. II. Nec poteft donata liberis primi matrimonii ob ingratitudinem revocare. l. 7. C. de revocandis donat. Exceptis

ceptis tribus casibus expressis in Auth. *quod mater.* ib. ex Nov. 22. c. 35. III. Conjux ad secundas nuptias transiens amittit tum proprietatem lucrorum a priore conjuge ei relictorum, tum usumfructum a praedefuncto relictum. Utrumque accrescit liberis prioris matrimonii. l. 6. §. 1. & 3. l. 8. §. 1. C. de secund. nupt. Nov. 98. c. 1. l. un. C. si secundo nupserit. IV. Non potest superstes conjux in alterum conjugem plus conferre, quam uni ex liberis, cui minimum dedit, obvenerit. l. 6. pr. l. 10. pr. C. de secund. nupt.

§. 236. Secundum principia Christianae Religionis maximo in honore erat virginitas: altero censebantur gradu, qui primas contraxissent nuptias, quibus morte solutis maximopere commendabatur status viduitatis, orationi, sanctorumque operum studiis addictus. I. Cor. VII. 8. & I. Timoth. V. 3. seq. Tertio demum aut infra tertium gradum habebantur, qui ex miserabiliore infirmitate secundas aut ulteriores contraxissent nuptias. In secundis ergo nuptiis incontinentiae praesumtio inesse videbatur sanctis Ecclesiae Patribus. Viduitatem enim ex doctrina Apostoli suadentes praesertim feminis, solo incontinentiae periculo secundas nuptias admittebant (*b*). Agnoscebant praeterea SS. Patres, in secundis nuptiis perfectam mysterii significationem non inesse. Primo enim matrimonio junctus uxori maritus Christum Ecclesiae junctum repraesentat; quod quidem foedus indissolubile est. At secundae nuptiae, etsi idem mysterium significare quoquo modo possint, tamen quia prioris conjugii dissolutionem indicant, minus perfecte id faciunt. Unde S. Hieronymus post verba §. 233. recitata illico subjungit: *Quod testimonium* (Gen. II. 24. Matth. XIX. 5.) *Paulus edisserens ad Christum refert, & ad Ecclesiam; ut primus Adam in carne, secundus in spiritu monogamus sit. Sit una Eva mater cunctorum viventium; & una Ecclesia, parens omnium*

O 3 *Chri-*

Christianorum. Sicut illam maledictus Lamech in duas divisit uxores: sic hanc hæretici in plures Ecclesias lacerant; quæ juxta Apocalypsin Joannis synagogæ magis diaboli appellandæ sunt, quam Christi conciliabula.

(*b*) *I. Timoth. V.* 14. *ibi:* Volo juniores (*viduas*) nubere, filios procreare, matresfamilias esse: nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. *In quæ verba sic commentatur S. Hieronymus lot. cit* Volo, *inquit*, adolescentulas nubere. Cur, quæso? Quia nolo adolescentulas fornicari. Procreare filios; quam ob causam? Ne metu partus ex adulterio filios necare cogantur. Matresfamilias esse; quare obsecro? Quia multo tolerabilius est, digamam esse, quam scortum; & secundum habere virum, quam plures adulteros.

§. 237. His præmissis decidendum: I. Secundæ nuptiæ ipsæ malæ non sunt, nec damnandæ. I. Cor. VII. 39. Montanistæ & Novatiani, qui illas damnabant, ita, ut cum binubis nec communicare vellent, damnati sunt in Concilio Nicæno can. 8. Idem Ecclesia declaravit contra Græcos, & Concilium Florentinum in Decreto pro Jacobinis (*c*). II. Sunt tamen secundæ nuptiæ minus favorabiles, quam primæ, in utroque jure, ex rationibus supra indicatis.

(*c*) *Concilium Neocæsariense, quod refertur a Gratiano can.* de his. 8. *XXXI. q.* 1. *tempus quoddam pœnitentiæ & temporalem separationem a communione præscripsit iis,* qui frequenter uxores ducunt, *&* *illis*, quæ sæpius nubunt: *hoc addito: Sed* conversatio & fides eorum tempus abbreviat. *Can.* hac ratione. 9. *ib. ubi honesta fornicatio appellatur secundum matrimonium, non est S. Chrysostomi, sed alterius auctoris, qui sæpius cespitavit. S. Hieronymus loco supra cit. scribit.* Rem dicturus sum incredibilem, sed multorum testimoniis approbatam. Ante annos plurimos, cum in Chartis ecclesiasticis juvarem Damasum, Romanæ urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem, vidi duo inter se paria, vilissimorum e plebe hominum comparata, unum, qui viginti sepelisset uxores; alteram, quæ vicesimum secundum habuisset maritum, extremo sibi, ut ipsi putabant, matrimonio copulatos.

§. 238.

§. 238. Jus utrumque parum favere secundis nuptiis, ex his patet decisionibus: I. Bigami sunt irregulares, nec admittuntur ad Ordines clericales. L. I. Decr. tot. tit. *de Bigamis non ordinandis*. Olim etiam diaconissa non fiebat, nisi unius viri uxor (*d*). II. In secundis nuptiis non adhibetur solemnis benedictio c. 1. & 3. de secund. Nupt. quia benedictiones rerum & personarum iterandæ non sunt. Cum vero totum hoc ad disciplinam pertineat, quæ varia est variis locis & temporibus, quivis statuta & Ritualia suæ Diœceseos sequi debet (*e*). III. Olim presbyteri interesse prohibebantur convivio secundarum nuptiarum; ne ipso facto eas approbare viderentur. cit. can. 8. XXXI. q. 1. IV. Si heredi aut legatario, qui in matrimonio nondum fuerat, adjicitur conditio: *Si matrimonium non contraxerit;* ea habetur pro non adjecta, ita, ut hereditas vel legatum non obstante matrimonio possit exigi (*f*). Id ad casum secundarum nuptiarum extendi non potest. Nov. 22. c. 43. seq. ubi corrigitur l. 2. C. de indicta viduit. Nec vero per sacros Canones huic dispositioni juris civilis derogatum est.

(*d*) *I. Tim. V.* 9. *ibi:* Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens.

(*e*) *In Rituali Augustano Tit.* 38. *n.* 17. *sic præscribitur:* „*Caveat etiam Parochus, ne, quando conjuges in primis* „*nuptiis benedictionem acceperunt, eos in secundis benedicat; nisi consuetudo vigeat, quæ non improbanda, &* „*in nostram Diœcesin utiliter introducenda, ut, si mulier* „*nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur: sed viduæ nuptias non* „*benedicat, etiamsi vir ejus nunquam uxorem duxerit.*"

(*f*) *L.* 22. *& l.* 72. §. 5. *D. de condit. & dem.*

§. 239. Nuptiæ secundæ nec viduo, nec viduæ concedi debent, nisi tales re ipsa esse *constiterit*, h. e. nisi de morte prioris conjugis habeatur certitudo moralis c. 19. de spons. & c. 2. h. t. (*g*). De hac certitudine

regula

regula generalis dari nequit ob varia adjuncta remotæ regionis, diuturnæ absentiæ, ætatis, belli aut pestis grassantis &c.: ex quibus judex arbitrari debet, utrum transitus ad secundas permitti, an prohiberi vel attentatus puniri debeat. Fieri potest, ut testimonium unius, aut fama, si alia concurrant adminicula, sufficiant. Arg. l. 5. §. 6. D. de re militari. & c. 24. de accusat. Si contractis secundis nuptiis dubium aut certitudo de vita prioris conjugis supervenit, decisio facienda ex c. 2. h. t. & ex principiis alibi datis §. 190. 199.

(g) *Verbum* constat, *eam indicat notitiam, quæ formidinem de opposito excludit. Ex his autem locis supplendus & explicandus est can.* 1. § 1. *XXXIV. q.* 1 *&* c. 5. §. 4. *ut lite non contestata. Conf. Emanuel Gonzalez ad c.* 19. *de sponsal. Ceterum tum adductis supra locis, tum in Novella Justiniani* 117. *c.* 11. *corrigitur l.* 6. *D. de divortiis, quæ dubitanti de morte conjugis absentis, licentiam concedit nubendi post quinquennium exspectatum, vel post quadriennium, ut habet l.* 7. *C. de repudiis.*

O. A. M. D. Gl.

ERRATA:

Pag. 45.	Lin. 20.	pacifica.	*Lege:*	pacifice.
114.	penult.	responsio.	-	responso.
122.	9.	relate ad I.	-	relate ad K.
124.	22.	§. 138. principio lineæ, facta sectione positus concipi debet.		
129.	27.	Caio.	*Lege:*	Caia.
131.	20.	in gradu quarto.		in gradu secundo.
142.	2.	decerunt.	-	decernunt.
159.	25.	Serv. disparis.		Serv. aut disparis.
165.	11.	eodem.	-	eadem.
172.	22.	prohibetur.	-	prohibeatur.
182.	30.	expcetiones.	-	exceptiones.
186.	21.	atque hac.	-	atque hæc.
189.	19.	calumniam facere.		calumniam faceret.

